

BARTHOLOMAEI CAMERARII BENEVENTANI, IN PSALMVM CXVIII. EXPLICATIO.

Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.









ROMAE, *apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem.* 1557.


ILLVSTRISSIMO
REVERENDISSIMOQVE S. R. E.
CARDINALI FRANCISCO TVRNONIO


Bartholomæus Camerarius. F. P.



VM Lutetiæ aliquando de mirabilibus, quæ in hoc Psalmo continentur sermonem inter nos haberemus; pergratam rem amplitudini tuæ me facturum significasti, si ea omnia elicerem, atq; in lucem proferrem mysteria, quæ in eo sunt abstrusa, ac recondita. Quod quidem onus mihi abs te impositum etsi, q̃ vires meas superaret, per q̃ graue mihi, ac difficile videbatur; tamen non tam præstandi quod cupiebas spe, q̃ obsequendi studio à me libenter susceptum fuit. Itaque opus iniunctum, quantum licuit, sedulo peregi. Quo ex labore duo hæc vtiq; me consecuturum esse spero: Vnum vt, quemadmodum soles, cum media nocte expergefactus sacræ scripturæ testimonia scrutaberis, hæc legens tu eas margaritas, quæ in eo latent, ostendas, quas nec tibi, nec alijs ego potui cõmonstrare: Alterum, vt animum meum quanq̃ propter auctoritatem tuam, quæ à scribendo me sæpe deterruit, debilitatum. (Is enim tu es, cui nemo nec nobilitate, nec doctrina, nec magnificentia, nec moribus antecellit) tamen ad ea, quæcunq; mihi imperaris, suscipienda saltem paratum esse intelligas. Vale.

ARGUMENTUM
IN PSALMUM CXVIII.
BEATI IMMACULATI.





VM instituisset Dauid senio iam confectus, humanæ uitæ uarios status Ecclesiæ recensere, in quibus haud naturæ uiribus, sed solius legis instruentis, ac gratiæ non solum animam nostram sic attollentis, ut participes diuinæ naturæ efficiamur uerum adiuuantis ope, omne bonum opus suscipiamus consummamusq́, atq; beatam uitam in uia peregrinationis mundi huius ducamus: hunc Psalmum, quem explanandum suscepimus, conscripsit, qui reliquorum omnium, quos antea ediderat, quædam est ueluti peroratio. In quo eam ob causam nil ferme aliud quàm legem euangelicam in factorum lege conclusam inquirit, nisi ut Iesum Christum patris sapientiam in ea uelatum toto ex corde contemplari possit: sapientiam inquam illam, qua cum omnia bona pariter uenerunt: tres nimirum uirtutes theologicæ, quatuor morales infusæ, tres item intellectuales, septem dona, beatitudines octo, & fructus spiritus duodecim: de quibus in hoc Psalmo Regius iste pastor tractat. Et hoc quidem, ut nos admoneat, Christianos omnes quotquot ueste illa nuptiali charitatis Domini induti fuerint, omnia perpeti, omnia credere, omnia sperare, ac deniq; omnia sustinere sic posse, ut dum abundant passiones Christi in nobis, per Christum abundet consolatio nostra: quando, si lex subintrauit ut abundaret delictum, superabundauit & gratia per Iesum Christum dominum nostrum: cuius ope audacter cum Paulo dicimus: Omnia possum in eo qui confortat me. Hoc planè totius Psalmi institutum est, quod præ oculis Ecclesia quoque habuit, quando ad nostram doctrinam singulis quibusq; diebus coram populo decantandum esse statuit. Superest igi-

tur, ne lectores ob Psalmi longitudinem, in quo prolixè singula pertractare Propheta cogebatur, ab illius methodo decidant: ut tametsi Psalmus ipse, sicut multis placet, diuisus uideatur, quasi quot octonarij sunt, tot partes esse dicantur: nos aliam sententiam secuti, in partes tres Psalmum hunc diuidamus: quarum prima usq; ad octonarium secundum se porrigit, secunda usq; ad quintum, & tertia ad finem usq;. Sic enim scopulos illos uitabimus, in quos magni uiri sæpenumero impegerunt, modò Christum, modò Ecclesiam, modò pium hominem, modò uerò Dauidem loqui in hoc Psalmo putantes, cum tamen solus Dauid omnia narret. Hinc sanè factum est, ut tametsi uerissimas sententias uerbis Psalmi patres nostri accommodauerint, minime tamen aut Prophetæ sensum omni ex parte intellexisse, aut ueram eius methodum inuenisse uideatur: quam talem esse constanti animo affirmo, quippe Dauidem cum de beatitudine hominis ageret, deq; humanæ uitæ cursu, statuq; eius diuerso, tam bono, quàm malo, IN PRIMA PSALMI PARTE duas uias accedendi ad Deum ostendisse, quarum altera, uita ipsa actiua est, altera contemplatiua: quibus deinde ea de re tertiam falsæ beatitudinis uiam addidit, uoluptuosam nimirum, quæ ad gehennam uentris animalia conducit, ut ueram à falsa beatitudine distinguere nosceremus. Pauloq; post iræ statum narrauit, in quo omnes propter primum peccatum nascimur: aut postquam renati sumus, ob superueniens peccatum manemus, apertè ostendens nos, etsi aliquot cordis morsus, ut resipiscamus, à spiritu Dei moti in statu illo sentiamus, quibus ad gratiam uenire plerunq; optamus, minime tamen, donec gratia denudati sumus, legem secundum instituentis propositum seruare posse, ea uerò adepta, lex, quæ alioqui uia plerunq; iniquitatis nostram ob culpam fuisset, uia ad salutem per Christum sic fiat, ut quàm diu gratiam comitem habemus, tam diu legem integram meritoriè seruemus. Ecce doctrinam omnem uitæ humanæ, legisq; seruandæ, ac beatam uitam ducendi in unoquoq; statu, in hac prima parte habes.

Reliquum est ut ad SECVNDAM PSALMI PARTEM nos conuertamus, in qua animaduentens Propheta, quòd etsi ipsi Deo impossibile non sit, nos usq; ad diem Christi absq; peccato conseruare: hoc tamen quia rarò hominibus datum cernimus, lex uerò ipsa ad ea quæ frequentius accidunt aptatur, de ipsa uita actiua agere confestim cœpit, in qua homo nunc peccando labitur, nunc uerò gratia Dei per pœnitentiam resurgit: spem nobis ex his, quæ manu ipse propemodum attrectauit, adferens, ut siquando septuagies septies peccauerimus, adhuc ad dominum confugiamus, nihil hæsitantes quin eadem Dei misericordia, quæ nos à statu iræ ad statum gratiæ perduxit, præteritorumq; pœnitentiam dedit, futurorum daturus sit omnibus, qui in toto corde exquirunt eum: quandoquidem si Propheta illum hominem beatum esse iudicat, qui non abijt in consilio impiorum: beatum item eum inquit esse, qui in uia peccatorum non stetit: beatum denique declarat & illum, qui si aliquo tempore stetit, non tamen in cathedra pestilentiæ sedit: obstinationis scilicet, in qua Satan & eius filij sic manent, ut ob pœnitentiæ defectum æterna morte puniātur. IN TERTIA VERO PARTE, cum in actiua uita adeò strenuè militasset, ut iam in contemplatiuam ingredi promeruerit, de ipsa uita contemplatiua agit: quæ propterea quòd cœlestia crebrius contemplatur, prolixius examinanda erat. Atque hinc ut commodius singula explicaret, Deiq; miserentis erga nos peccatores, qui ad ipsum confugimus, perpetuam misericordiam demonstraret, tres persecutiones quas sustinuit, multis in Psalmis fusissime scriptas, hoc uno summatim complectitur. Primam nimirum Saulis, alteram Absalonis, & tertiam Satanæ duriorem: in quibus nunc Dei opem atq; auxilium expetit, nunc obtenta prædicat, interdum facti seriem narrat, aliquando uerò laudes charitatis diuinæ connumerat, instruēs quales nos erga Deum præstare debeamus, postq; sua misericordia à mundi calamitatibus liberati fuerimus. Hæc summa omnium est, quæ in tertia parte continentur: quam adhuc, ut facilius

rem omnem iuniores intelligant, in partes ſeptem diuidere poſſumus: quarum prima uſq; ad octonarium ſeptimum durat: ſecunda ad octauum: tertia ad nonum: quarta ad decimumtertium: quinta ad decimumſeptimum: ſexta ad uigeſimum: ſeptima ad finem uſque: quas ſuo ordine proſequens, primam principio proponam, in qua oblata ſpeciali ſua cruce, perſecutionis Saulis, obnixe Dominum obſecrat, ut minimè ſola, ſed ſimul cum armis cœleſtibus ſociata adueniat: (quæ qualia ſint ſingillatim in quinto octonario expreſſit) quibus obtentis hilari animo in ſeptum perſecutionis ingreſſus, contra Saulem ſtrenuè pugnans uictoria potitus eſt: unde ſpem habuit fore, ut cuius ope ſalutem conſecutus fuerat, ab eodem æternam quoque acciperet. In ſecunda uerò parte, optimi militis inſtar, qui ſtrenuè prælia Domini certauit, fiducia quadam dominum alloquitur, cauſas coram eo aceruans, propter quas ſpe, æternam ſalutem ſe aſſecutum eſſe autumat. Verum enim uero quia ſancti uiri, poſt ſpem hanc, quam oculis proponunt, an Dei gratiam habeant, uel ne ab illa, quam habent, in futurum excidant, plerunq; pauere ſolent: huic pauori in tertia parte ſuccurrere optans, cauſas addidit quare non debeat pauere: quæ cum infallibiles non eſſent, miſericordiæ Dei ſe denique committit, obſecrans ut gratiam perſeuerantiæ uſque in finem ſibi condonare uelit. Vix tamen iſthæc contemplari cœperat, cum ecce noua Abſalonis perſecutio in quarta parte ſeſe obtulit: quæ pauorem ſuum adeò auxit, ut maximas quoque mentis euagationes paſſus, de prouidentia Dei conquereretur: quas confeſtim gratia comite excluſit. In quinta uerò, dum per latos charitatis campos, quaſi onager in medio nemorum lætus uagaretur, Satan inuidus, parum ſuos filios in enarratis afflictionibus profeciſſe animaduertens, nouam ſpiritualem & duriorem parare perſecutionem propoſuit, in qua pelle pro pelle certaretur, quam ſi Deus permiſit, Dauidi tamen fortiora ſimul dedit, quibus quàm uiriliter certauerit, cum Pſalmi uerba explicabimus, commodius cernes. Enume-

rauerimus hoc in loco singillatim persecutiones, atq; utriusque uitæ tam actiuæ quàm contemplatiuæ status, non solum ut tyrones Psalmi methodum intelligerent, uerum etiam ut quandocunq; uerba illa mandatorum, iustificationum, donorum, repetita persæpe fuisse in hoc Psalmo legerint, minimè propterea uerborum geminatorem Dauidem esse censeant: siquidem diuersæ erant persecutiones, diuerso tempore inflictæ: in quibus eadem tutamina, sed per nouam gratiam, aduenire obsecrabat: docens nos, ne eam ob causam, quia semel ab aliqua persecutione nobis inflicta liberati Dei gratia fuerimus, nouam petere gratiam desinamus: quoniam sicut unicuiq; diei sufficit malitia sua, eodem modo unicuiq; tentationi sufficit gratia obtenta. Oramus nanq;, ut qui inspirando præuenit, adiuuando prosequatur: & qui adiuuit, perseuerare sic donet, ut dona in beatitudines transeant. Quas cum Dauid ipse obtinuisset, in sexta parte eo modo, quo sancti uiri cum Deo ipsum contemplantes loquuntur, mirabilia, quæ in lege Domini inuenerat, (& si in medio tribulationis ab eo narrata ex parte fuissent) iterum breui epitome fusius recenset, atq; omni cum humilitate, iustè propter propria peccata se afflictum, Dei uerò misericordia per Iesum Christum liberatum fuisse palam confitetur; nam siqua iustitia sua considerari poterat, secunda causa salutis erat, participatione iustitiæ Christi id præstantis corroborata. Porro & id quoque in septima parte docet, ut minime post superatas tribulationes, scenis, ueneationibus, aut uindictæ, uel crapulæ, idq; genus reliquis operam nauare debeamus, quin potius ut, quo modo ipse contemplationi diuinorum se totum dedit, agris culturæ diuinæ uacans, per quam pergens tota die quasi flosculos fructus Spiritus sancti in horto Domini legebat, ut ex illis sertum texeret, quo coronandus esset: eodem & nos pergere debeamus ex gratia in gratiam, atque ex spe in spem cum Dauide uitam ducentes, atque credentes ueracem Deum, qui sæpe a morte temporali nos liberat, & totiens à pœnis tribulatianum, in quibus mors esse uidetur, nos eripit:

multo maiori ſedulitate æternæ reſurrectionis noſtræ curam habere, pro qua obtinenda quaſdam breues ſibi orationes accommodauit: quibus crebrò obnixe rogabat, ut Christus animarum noſtrarum paſtor tanquam errantem ouem ipſum quæreret, deperditæq; ouis inuentæ inſtar, eundem ſupra dorſum, cruci affixum ſuſciperet, ac miſericorditer ſaluaret. Alacri igitur animo fratres, hos noſtros labores accipite, ut mente & uerbis paſtoris huius rectè expenſis, in ſpiritu deinde & ueritate orantes, ſic beatam uitam ducatis, ut corpore hic permanentes, cum Angelis uerſari conſueſcatis.




ALLELVIA

Id est laus Domini, hic in via incipiens, perficienda in patria, vbi à Sanctis suis perpetuò laudatur.

A. ALEPH. א

Latine doctrina.



Lphabeticus Psalmus iste unus ex quatuor literarijs, ut aiunt, se nobis hodie offert, in quo ea de re Propheta in initio uniuscuiusq; uersus octonarij cuiuslibet, ab eadem litera, quæ octonario præponitur, incipit, ut se id tractaturum quod proprietas literæ significat, nobis ostendat. Res quidem Latinis non concessa, qui in hoc primo octonario minime in principio uersuum literam a, sed alias habent: itidem et in cæteris qui sequuntur: quo circa uarias literas uti res ipsa docet, posuerunt. Verum ne posthabitis literis, rectum Prophetæ sensum lectores præterirêt, id exequentes quod poterant, ueluti octonarij argumentum supra ipsos octonarios atq; in margine uersuum, literas, uti uides, collocarunt, à litera Aleph initium sumentes, quæ doctrinam significat: ut ex hoc integrum hunc octonarium in sola doctrina consistere facilè intelligeremus. Diuiditur autem in partes quatuor: quarum prima usq; ad uerba illa, Tu mandasti mandata tua, de tribus beatitudinibus agit. In secunda usq; ad uersum, Vtinam, mandata impossibilia homini absque gratia esse ostendit. In tertia usq; ad uersum Iustificationes, spiritus mouentis opus narrat, qui in statu iræ mentem nostram suis radijs illustrat, mouetq; ut ad gratiam confugiamus. In quarta uerò, gratia assistente facilè legẽ posse impleri subiungit: aliudq; esse, hominem iustificari, q; iustificatum hominem in iustitia conseruari, docet. Superest, ut hunc Ecclesiæ Doctorem, qui literaturam non nouit, audiamus, donec spiritu sancto in eius ore loquente, octo carminibus

omnia recenset, per quæ homo proprium statum, in quo tam sub ira q̃; sub gratia manet, agnoscere possit. Quare *autem octonarius numerus à* Dauide *electus fuerit, uarij uaria contemplantur: mea tamen sententia aut libertati scribendi octo, nouem, uel septem uersus, tribuendum est: aut idcirco* Prophetam *octonario numero usum fuisse dicendum, ut quot quot* Psalmum *hunc legerent, ex hoc intelligerent, omnia quæ operari & credere in septem ætatibus homines lege adstringebantur, sic consumari oportere, ut in octaua resurrectionis ætate æternam felicitatem eis pararent.* Hoc *planè prophetæ propositum est, ut eam spe beatitudinem in uia nos habere ostendat, qua deinde re, ipsa æterna beatitudine fruemur.*

Aleph 1 BEATI IMMACVLATI IN VIA: QVI AMBVLANT IN LEGE DOMINI.

Aleph 2 BEATI, QVI SCRVTANTVR TESTIMONIA EIVS; IN TOTO CORDE EXQVIRVNT EVM.

Aleph 3 NON ENIM QVI OPERANTVR INIQVITATEM; IN VIIS EIVS AMBVLAVERVNT.

Aleph 4 ¶TV MANDASTI MANDATA TVA CVSTODIRI NIMIS.

Aleph 5 ¶VTINAM DIRIGANTVR VIAE MEAE, AD CVSTODIENDAS IVSTFICATIONES TVAS.

Aleph 6 ¶TVNC NON CONFVNDAR; CVM PERSPEXERO IN OMNIBVS MANDATIS TVIS.

Aleph 7 COFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS, IN EO QVOD DIDICI IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

Aleph 8 IVSTIFICATIONES TVAS CVSTODIAM, NON ME DERELINQVAS VSQVEQVAQVE.

Cum Propheta de beatitudine uiæ loqui uellet, secundum literæ Aleph proprietatem, quæ doctrinam significat, tanquam magister, qui nos omnia docet, tria uitarum genera in hac prima octonarij parte proponit: quarum duæ, actiua nimirum et contemplatiua, ad ueram beatitudinem nos conducunt: tertia uerò uoluptuosa inferni portas aperit. Inquit enim BEATI *sunt* IMMACVLATI *absq; macula peccati mortalis peregrinantes, siue quia post baptismum non peccauerũt, siue quia ubi peccauerint, pœnitentiam egerunt. sic enim alibi dixit: si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Quem in modum non minus immaculatus est peccator qui ad dominum est reuersus, q̃ iustus qui non est peruersus.* IN VIA *peregrinationis huius, his uocibus ostendens, hic beatitudinis æternæ, spe initium quoddam, quantum ad hominem attinet, imperfectum nos habere, propter inhabitantem spiritum, qui in nobis regnare incipit, nil aliud agentem, q̃ ut intellectum per fidem ad usum gratiæ disponat, donec re perfectam beatitudinem assequatur.* QVI AMBVLANT *in uia actiua, de qua Propheta tanquam de illa, quæ ipsa uita contemplatiua inferior est, in hoc uersu agit, quasi hi in ea sese exerceant, qui ambulant, non autem pigri sedent: belle his uerbis ostendens, fide adepta, gratiaq; Dei comite, beatos in proprio facto, hoc est in ipsa mandatorum obseruatione nos esse. Sic enim circũcisio prodest (Paulus inquit) si legem obserues. Si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est, & fides ad eundem modum mortua. Non quidem ut actus nostri seu opera nostra ab habitibus infusis prouenientia, ad illum modum ipsam beatitudinẽ attingant, secundũ quem in naturalibus actus proueniẽtes ab habitibus acquisitis plerunq; ipsa beatitudo naturæ sunt: Sed potius q̃ ad beatitudinem supernaturalem per modum meriti nos*

ordinent. Sed ubi ambulandum? IN LEGE DOMINI. id est Iesu Christi euangelica, per quam ipsa gratia facta est. Atqui dices lector: Non'ne de ipsa lege factorum quæ domini erat, psaltes eo tempore egit, in qua mandata quæ implemus, continentur? Cui ego respondebo, eam ob causam uocem istam, DOMINI, idest Iesu Christi, interpretandam esse, quia lex ipsa fidei, in lege factorum tunc conclusa, non autem Mosaica, sanctos patres beatos in uia faciebat, uti scriptum est: Iustus meus ex fide uiuit. Nec aliter lex antiqua cibus uiatorum erat, nisi quatenus fidem annexam habebat: ita quidem, ut tametsi in utraq; lege ambulandum sit (quem in modum uerba hæc, in lege domini, ipsam quoq; factorum legem complectuntur) beatitudinem tamen, quam consequimur, à lege Domini, id est Iesu Christi habeamus. Nec proinde reprehensione aliqua digni erimus, si dicamus utranque domini, idest Iesu Christi hodie esse, eò quòd mutato sacerdotio ab Aarone in Christum, lex quoq; factorum mutata fuit, nón ut non esset, sed quò tanq; eiusdem Christi lex censeatur promulgata. Hactenus de prima uita.

2 BEATI, QVI SCRVTANTVR TESTIMONIA EIVS; IN TOTO CORDE EXQVIRVNT EVM.

Quasi dicat, BEATI quoq;, & maiori beatitudine beati sunt contemplatiui. Vti Dominus illius uerbis docuit: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia & da pauperibus, & sequere me. QVI SCRVTANTVR TESTIMONIA EIVS. id est Domini, ita ut homines ipsi, testes sint: scripturæ uerò quæcunq; diuinitus inspiratæ (quasi testium dicta) testimonia dicantur: non quòd beatitudo in legis perscrutatione consistat, quandoquidem satanæ filij illam quandoq; perscrutantur: sed quia scrutando summum bonum in lege contentum, spiritu sancto docente contemplantur, ac contemplando cum eo coniunguntur: itaque summo bono in uia spe fruuntur, quam ob causam subiunxit: IN TOTO CORDE. ne illis dicatur: Cognoui uos, quia scrutando dilectio-

nem Dei non habetis. EXQVIRVNT, id est diligenter quærunt. sed quid est in toto corde exquirere? quippe ut contemplatiui (secundum id quod habent ac possunt, sicut ex parte uident, ex parte quoq; amantes) nil aliud quàm Deum in corde retineant, actiui uerò idcirco in toto corde Deum ament, quia nil non ordinatum ad Deum, in corde tegunt. EVM, idest Christum, quemadmodum ipse docet Israelitas redarguens, qui in sola lege Mosaica beatitudinem inuenire putabant, inquiens, scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Hucusque de secunda uia, uitæ nimirum contemplatiuæ, quæ ad uitam beatam re habendam, spe nunc in uia nos conducit.

3 NON ENIM QVI OPERANTVR INIQVITATEM IN VIIS EIVS AMBVLAVERVT.

Cum in duobus præcedentibus uersibus doctrinam duarum uiarum amplectendarum, actiue nimirum uitæ & contemplatiuæ, quæ ad uitam ducunt, Propheta ostendisset, tertiam doctrinam, qua falsam beatitudinis uiam uitare queamus, superaddit, in qua uentri homines potissimum indulgent, idq; genus reliqua agunt, in his ueram beatitudinem consistere falso putantes, ut sequitur: NON ENIM QVI OPERANTVR, hoc est, omni tempore absq; pœnitentia ad mortem usq; operantur INIQVITATEM, uoce singulari loquens, ut unam iniquitatem, quæ pœnitentia careat, ad condemnandum sufficere commonstret. IN VIIS EIVS AMBVLAVERVNT. Quasi nil prosit præterita bona uita, quando præsens mala est, Propheta teste, cum ait: Si dixero iusto, uita uiues, & confisus in iustitia sua iniquitatem fecerit, in ipsa morietur. Sic etiam alibi ait: Dispergantur omnes qui operantur iniquitatem, quasi quòd in eo statu in quo sunt, debeant iudicari. In hunc sanè modum uerba isthæc interpretari debent, non autem ut in uijs Domini iusti ambulent, dum iniquitatem, hoc est ueniale peccatum (ut quis

dam male sentiunt) operantur. Siquidem qui uenialiter peccat, minimè iniquus est, eò quòd ueniale peccatum neq; beatitudinem in uia impedit, neq; amicitiam cum Deo contractam extinguit, neq; nitorem habitualẽ tollit, sed actualem duntaxat à uirtutibus prouenientem. Ad quæ Paulus respiciens dixit: Non apprehendat uos tentatio præterq; humana, quæ donec tentat, exercendæ uirtutis instrumentum est. Sed quæ sunt uiæ eius? Diuina præcepta custodire, desideria uirtute referta, & locutiones sanctas amplecti, aduersáq; pro Deo æquanimiter tolerare. Hactenus de ipsa doctrina uiarum, quæ ad ueram uel falsam beatitudinem ipsum hominem dirigunt.

4 ¶TV MANDASTI MANDATA TVA CVSTODIRI NIMIS.

Propheta, qui integrum uitæ humanæ cursum à die, qua homo sub ira nascitur, ad mortem usque ecclesiæ in hoc psalmo narrat, alteram doctrinam in hac secunda octonarij parte nobis tradit, per quam, cuius potentiæ homo ipse in statu iræ ad seruandam legem sit, agnoscamus, eáq; cognita, ad gratiam recurramus: quando non aliam ob causam: uerbis lucidissimis lex factorum, & lex fidei uerbis mysticis, eodem tempore à Moyse promulgatæ fuerunt, nisi ut Israelitæ legem factorũ, quæ impleri à solo homine non poterat, gratia per Iesum Christum facta (qui uirtute ab initio mundi occisus est) facilè seruari posse intelligerent, inquiens, TV MANDASTI in statu iræ MANDATA TVA CVSTODIRI NIMIS, idest ualde (secundũ quosdam) quasi possibile sit homini absq; gratia cum magna difficultate mandata omnia custodire. quæ opinio Pelagiana cum sit, hæretica est. Alij uerò dicunt, nimis, hoc est magna cum diligentia, ubi gratiam comitem habeamus, & hæc bona. Verius tamen, quantum ad literæ interpretationem attinet, dicemus, nimis, idest supra hominis sub ira nati potentiam. Nam cum Propheta de beatitudinibus hic agat, de ea mandatorum obseruantia eum tractasse sentiendum est, quæ spe initium beatitudinis in uia præstat: res

planè, quæ ab homine sub ira uiuente haudquaquam ante gratiæ aduentum, quæ initium & finis boni operis meritorij est, consumari potest. Non quidem hoc loco Propheta de potentia adimplendi mandata secundum naturam agit, sicut alibi Moyses dixerat, quia non procul posita erant, neq; in cœlo sita, neq; trans mare; immo potius de meritoria obseruatione eorum, qui spe beatam uitam ducũt: quocirca hominis potentiæ nimis sunt, nisi ad gratiam recurrat, ut sequitur.

5 ¶ VTINAM DIRIGANTVR VIAE MEAE, AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS.

Volens Propheta in hac tertia octonarij parte hominem orantem demonstrare, qui in statu iræ manens, lumine Dei præuentus, ad gratiæ inhabitantis statum uenire optat, in propria persona orans inquit: VTINAM, quæ optatiuis uox est, ostendens id se petere, quo caret, siquidem nemo ea optat, quæ in sua potestate habet. Atqui dices, quid optat? mandata meritoriè seruare. Quid ad id deest? fides, quæ per dilectionem operatur. Sic enim id quod natura dum nascimur negat, misericordia præstat, per Iesum Christum uelatum in lege, quem Dauid unà cum lege fidei sibi reuelari optabat. Sed quomodo fieri hoc poterit, quòd fidem quis petat, quæ primus gradus est intelligendi Deum? Nempe ut iacula quædam spiritus mouẽtis, quæ in tenebris lucent, in nobis adueniant: quibus præuijs ad fidem trahamur: nos uerò libero cum arbitrio gratia comite accedamus: itaq; uiæ nostræ malæ, bonæ fiant, uti litera dicit: DIRIGANTVR, uoce passiua utens: eò quòd nemo ad fidem uenit, nisi pater illuminando traxerit illum. VIÆ MEÆ obliquæ & malæ. At si quæras, ad quid dirigendæ? AD CVSTODIENDAS fide adepta IVSTIFICATIONES TVAS. Iustificationes uocans illa, quæ paulò ante mandata nominauerat: quasi quòd fide & gratia aduenientibus, ex mandatis iustificationes animam iustificantes fiant: quocirca uocem TVAS, ad differentiam iustificationum nostrarum, quæ absq; gratia

animam non iustificant, addit. Hic germanus literæ sensus: ut inter statum iræ, in quo nascimur, et statum gratiæ, in quo renascimur, Propheta hoc in loco distinguat. De alio uerò statu iræ, quando post lauacrum peccamus, & gratia Dei resurgimus, in sequenti octonario dicemus.

6 ¶ TVNC NON CONFVNDAR, CVM PERSPEXERO IN OMNIBVS MANDATIS TVIS.

In quo uersu alteram doctrinam subiungit, per quam homini qui sub gratia uiuit, quomodo meritoriè cum gratia cooperetur, ostendit. TVNC, quasi dicat, ubi fides & gratia in me coniunctæ erunt, tunc NON CONFVNDAR, sicut nunc in statu iræ manens, confusum me conspicio: quoniam gratia Dei per Iesum Christum, ubi semel in eius lauacro renatus fuero, aut in futurum non peccabo, aut si peccauero, pœnitentiæ ianua mihi aperietur. Alludit planè (secundum glo. & Ambro.) ad Adæ negligentiam, qui non solum in ipso peccato confusus est, uerum etiam quòd post peccatum de ligno uitæ non comederit, atque à Domino uocatus se absconderit: spem habens quòd solicitior ipse gratia Dei erit de fructu arboris crucis comedere, per quam à commissis mundamur, & ad seruandum mandata in futurum uigoramur CVM PERSPEXERO altero de duobus modis IN OMNIBVS MANDATIS TVIS quæ indiuidua cum sint, proinde simul omnia seruanda sunt.

7 CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS: IN EO QVOD DIDICI IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

Quoniam hic Prophetæ ordo est, nempe ut gratias obtentas, propter loci angustiam eam ob causam taceat, quia octo uersus omnia complecti haudquaquam possunt, proinde gratiam ab eo obtentam, per quam fidelis factus est, minimè commemorat: sed ultrà pergens, omnia quæ gratia Dei obtinuit, ipsi Deo tribuit, uerbis futuri temporis loquens, ut

non solum præsentia, uerum etiam et futura ipsi Deo ascribantur. CONFITEBOR TIBI, idest in te solo, non autem in me gloriabor: optimi ministri Dei instar, qui absq; gratiæ eius auxilio nullas uires habere se profitetur. Sed super quo confiteberis? IN DIRECTIONE CORDIS. quocunq; ex his duobus modis legem, te cor meum dirigente, seruauero, tibi omnia tribuens: qui cor meum, ut in semita mandatorum tuorum pergeret, direxisti: palam confitens, non absq; spiritu Dei mouente cor nostrum ut bonum opus inquirat, dirigi posse. Confitebor tibi insuper non solum propter hoc quia cor meum direxisti, uerum etiam quia directus gratia tua ad Christum ueni, quasi dicat, Confitebor quoq; IN EO QVOD DIDICI, iuxta illud, Si quis audiuit à patre meo, & didicit, is uenit ad me. Aliud cum sit noscere quid fieri debeat secundum legem & non facere: aliud uerò discere & secundum gratiam facere. Confitebor adhuc non solũ quòd direxeris, ac ueniens Christum didicerim, sed etiam me didicisse IVDITIA IVSTITIÆ TVÆ. Et dicit iudicia in plurali, tum propterea quia Dei iudicia multa sunt, tum etiam propter nostra iudicia, quæ ipsius Dei iudicia eam ob causam dicuntur, quia nos sua gratia comite iudicia inter carnẽ & spiritum facere præstat. Iustitiæ uerò tuæ, eam ob causam in singulari, quia una est solius Christi iustitia, quam, dum in animas nostras infunditur, sic participamus, ut uerè nostra dicatur. Perinde ac si dixerit, Non solum didici omnia illa quæ fecisti, ordinata ad cognoscendum iustitiam tuam, quam misisti, et reliqua iudicia omnia in testimonijs tuis contenta (sicut scriptum est, Cognoscetur Dominus iudicia faciens,) uerum etiam illa iudicia iustitiæ tuæ quoq; facere didici, quæ homo gratia tua directus re ipsa per Christum meritoriè facit. Sic enim mansuetos dirigis in iudicio, donis cœlestibus armans milites tuos. De quibus sensit Propheta, cum dixit, Sacrificate sacrificium iustitiæ, & interroganti, quis ostendit nobis bona? euestigio respondet, Signatum est super nos lumen uultus tui, à fructu frumenti, uini & olei sui; absq; quibus iudicium iusti-

tiæ sacrificare nequimus. Sic enim opera quæ nostra sunt, simul iudicia iustitiæ, idest Christi dicuntur, qui simul & animam attollit, & uirtutem ad cooperandum cum gratia, homini elargitur; ac tanquam bene merita illa acceptat, alioqui frustra homo laboraret. Hactenus Prophetæ doctrina, quem in modum homo in statu iræ, impotens mandata seruare, uitam ducat; in statu uerò gratiæ, meritoriè per Christum mandata seruare queat. In sequenti autem uersu de ipsa gratiæ conseruatione tractat, modum nos docens, quo uitam beatam absq; peccato gratia comite ducere ualeamus.

8 IVSTIFICATIONES TVAS CVSTODIAM, NON ME DERELINQVAS VSQVEQVAQVE.

Difficile erit uerba hæc intelligere, nisi prius, quem in modum hominem Deus non derelinquat usquequaque, intelligas. Circa quod tria poterunt cogitari. Primum, ut Deus hominem in totum derelinquat secundum affectum cordis pergere, & in reprobum sensum conuerti: quod esset iusto Dei iudicio ipsum relinquere usquequaque. Alterum uerò, q ad tempus ipsum dimittat: quod non esset ipsum relinquere usquequaq;. Tertium, ut post iustitiæ infusionem ipsum nunquam derelinquat: quod est alio modo ipsum non relinquere usquequaque. Quibus præfatis dicamus; IVSTIFICATIONES TVAS, id est mandata tua & iudicia omnia; idcirco iustificationes dictæ, quia opus uirtutis continent, & impij animam de die in diem plus iustificant, CVSTODIAM: modò NON ME DERELINQVAS, id quidem quod sapiens alibi dixit: Mitte illam ut mecum sit, & mecum laboret. VSQVEQVAQVE. quã uocem multi secundo modo intelligunt, idest ut gratia non denegetur in totum: quod eueniret, si ei pœnitentia quoq; denegaretur: quæ quidem opinio in se bona est: ut impleuisse mandata eum dicamus, quem non impleuisse pœniteat. Sed alia uerior erit, si hic uox ista, usquequaque, tertio modo interpretetur, idest nunquam. Rogabis quomodo nunquam?

nempe

nempe ut donum perseuerantiæ usque in finem, non autem temporalis perseuerantiæ detur, à qua decidere quimus. Et erit postrema doctrina, quam ab hoc sapientiæ doctore habemus, cui notum erat, post gratiæ infusionem altero adiutorio nos egere perseuerantiæ scilicet, quo usque in finem perseueremus. Dixerat nanque Propheta in uersu septimo, se didicisse iudicia iustitiæ, per quæ uerba, se iustificatum esse, atque in statu gratiæ permanere ostendit: Nunc uerò perseuerantiæ non modo temporalis, uerum etiam perseuerantiæ usque in finem donum ab eo petit, qui potest sine peccato nos conseruare, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos, quasi dicat, tametsi tu mandaueris mandata tua custodiri nimis, gratia tua comite & fide ego illa custodiam, ac in æternum non peccabo, modò nunquam tu me derelinquas. Ecclesia teste, quæ Sacerdotem docet, ut antequam corpus Domini sumat, sic oret: fac me tuis semper hærere mandatis; & à te nunquam me separari permittas. Quid ultra in octo uersibus Propheta iste nos docere potuit? Verùm quia donum perseuerantiæ usque in finem, minimè tunc concedi solet, quando impius homo à Domino iustificatur, quemadmodum Dauidi euenit, quem nequaquam tunc donum hoc obtinuisse, immo eundem sæpiuscule peccasse legimus: proinde in sequenti octonario in domum confusionis intrat, ubi de ipsa conseruatione, quæ per pœnitentiam fit, agit. Hactenus de prima Psalmi parte.



¶ B BETH, ב
Latinè domus.



LITERA hæc domum confusionis, secundũ Ambrosium ponderantẽ uoces illas hebræas Beth besse significat: ad quam post adeptam fidem propter peccatum commissum Prophetam peruenisse, Ambrosio, Augustino, Glossæ, Cassiodoro, Titelmano, Remigio, Hugoni, & Cæsareo placuit. Brunonius uerò, Dionysius, Caietanus, & Euthymius (pro quibus citati doctores multa quoq; dicunt) personam iunioris hic loqui autumant, qui iustificatus iam, absq; peccato permanens, consilium petat quomodo futuram uitam ducat ne in peccatum incidat. Prosper autem dicit uerba hæc nouum populum significare Christi gratia renouatum: sed an deinde peccauerit, nec'ne, tacet. Et post hos Lyra præuidens ab isto octonario usq; ad quintum de ipsa uita actiua Prophetam agere, tria impedimenta perfectionis uitæ actiuæ considerat. Saniorem tamen primam opinionem ea de re putamus, quia ipse idem Dauid est, qui hominis uitam, à die qua nascitur, ad mortem usq; in toto hoc psalmo commemorat: & cum principio ipsum in statu iræ collocasset, in quo mandata Dei nimis esse dixerat: post uerò fidem obtentam, non solum possibilia esse, uerum etiam posse hominem non peccare addidit, modo gratia Dei non discederet ab eo usquequaq;: animaduertens rarò uisum esse hominẽ renatum diu absq; peccato permansisse: hoc loco tertium hominis statum Ecclesiæ ostendit, quando retenta fide rursus peccat: uiamq; ostendit quomodo à peccato deinde resurgat. Diuiditur in partes quatuor. In prima usq; ad uersum secundum, cum à gratia ad quam in præcedenti octonario peruenerat, peccando cecidisset, adductus ad pœnitentiam, modum resurgendi poscit. In secunda usq; ad sextum, partes quas pœnitentem habere neces-

se est, contritionem nimirum, propositum non peccandi in futurum, & omnia peccata confitendi, atq; pro confessis satisfaciendi narrat, gratiã Dei poscens, quæ in appositione manuũ Sacerdotis datur. In tertia usq; ad septimum, ab effectu ad causam, aduentum gratiæ cognouit, quæ illius cor exhilarauit, atq; effecit, ut attritio in contritionem conuerteretur. In quarta quid in futurum facturus sit, prænunciat.

Beth 1 ¶ IN QVO CORRIGIT ADOLESCENTIOR VIAM SVAM? IN CVSTODIENDO SERMONES TVOS.

Beth 2 ¶ IN TOTO CORDE MEO EXQVISIVI TE: NE REPELLAS ME A MANDATIS TVIS.

Beth 3 IN CORDE MEO ABSCONDI ELOQVIA TVA, VT NON PECCEM TIBI.

Beth 4 BENEDICTVS ES DOMINE: DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Beth 5 IN LABIIS MEIS PRONVNCIAVI OMNIA IVDICIA ORIS TVI.

Beth 6 ¶ IN VIA TESTIMONIORVM TVORVM DELECTATVS SVM, SICVT IN OMNIBVS DIVITIIS.

Beth 7 ¶ IN MANDATIS TVIS EXERCEBOR, ET CONSIDERABO VIAS TVAS.

Beth 8 IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS MEDITABOR: NON OBLIVISCAR SERMONES TVOS.

1 ¶ IN QVO CORRIGIT ADOLESCENTIOR VIAM SVAM? IN CVSTODIENDO SERMONES TVOS.

sapientia foris prædicat: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupiunt, imprudentesq; odibunt scientiam? Conuertimini ad correctionem meam, relinquite infantiam, & uiuite, & ambulate per uias prudentiæ. Siquis est paruulus, declinet ad me. Quibus auditis, Dauid, qui in domo confusionis se habitare propter peccatum cognouit, sic ait, Domine, IN QVO CORRIGIT ADOLESCENTIOR iste quem uocas, VIAM SVAM malam? Et utitur uerbo corrigit, non autem uerbo uitabit; ut ostendat de ipso iuniore qui peccauit, se loqui, non autem de eo qui se conseruare optat: Siquidem is se uerè corrigit (Ambrosius inquit) qui in errore fuit, cui Hugo & Hieronymus subscribunt, Augustinus item, cui placuit adeò iuniorem hunc peccasse, ut in consuetudine peccandi fuerit lapsus. Ad hæc Glossa & Cassiodorus ponderant, in primo octonario de ipsa conseruatione non peccando dictum fuisse. Et denique id me mouet, quoniam si aliorum opinionem sequeremur, istum iuniorem non peccasse, alienos sensus atque dissonos in his quæ sequuntur, literæ accommodare compelleremur. Contra uerò si Ambrosium approbamus, perspicuè formam pœnitentiæ, hoc est qualitates omnes ad ueram pœnitentiam necessarias octonarius iste nobis ostendet. Adauget animum ad sic tenendum, quia ad quintum octonarium usque Propheta de ipsa pœnitentia, qua sæpe in uita actiua egemus, agit; quemadmodum ex lectione sequentium patebit, præsertim ex octonario quarto, uersu secundo, ubi aperte declarat peccatorum pœnitentiam hic & in sequentibus se optasse. Dauid certè huius Psalmi author est, qui propter sex peccata Ecclesiæ nota, præter occulta, se mundari petit, & hæc in actiua uita, de qua nunc agit, non autem in contemplatiua, in qua præteritorum memor, afflictiones, quas à Satana & filiis eius passus est, itidem & Dei adiutoria Ecclesiæ recenset. Et denique ea de re hunc sensum sequi debemus, quia authoritas, quæ Brunonium & alios mouet, uerba sancti Prophetæ sunt, cum ait, Fili, bonum est tollere iu-

gum à iuuentute tua. accipe doctrinam, & usque ad canos inuenies sapientiam, tacens iuniorem illum in statu innocentiæ esse: quod si expressisset, quid commune cum Dauide in loco isto, ubi statum hominis à die natiuitatis ad mortem usque minutatim recenset? Dicemus fortasse, adepta fide & gratia ipsum Dauidem non peccasse? Hac enim sola ratione, si aliæ deessent, ab Ambrosij opinione discedere nequimus: quem ubi sequamur, uox ista, adolescentior, pro omni peccatore usurpanda est, etiam sene: quandoquidem senectus uenerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata: sed cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, uita immaculata. quasi dicat: O domine, tu uocas me, atque liberum arbitrium spiritu tuo moues, ut infantiam, in qua propter peccatum sum, relinquam. Dic obsecro, in quo adolescentior, id est peccator, corrigit uiam suam malam? IN CVSTODIENDO opere SERMONES TVOS, qui uel non peccare, uel pœnitere peccatorum commissorum nos docent. Tu quidem ille es, qui alio in loco dicis: Conuertimini ad correctionem meam: en proferam uobis spiritum meum, & ostendam uobis uerba mea, quæ modum rectè pœnitendi docent. Ecce domine paratus sum illa, quantum natura dat, seruare: age tu ut mea attritio in contritionem conuertatur, ut sequitur.

2 ¶ IN TOTO CORDE MEO EXQVISIVI TE: NE REPELLAS ME A MANDATIS TVIS.

Cum semel Propheta dixisset, Quanta mandauit patribus nostris, nota ea facere filij suis: ut cognoscat generatio altera, filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filijs suis: ut ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Hæc uerba iugiter mente reuoluens, ubique pro causa quare exaudiri debeat, totis humanæ naturæ uiribus se se Deum exquisiuisse proponit, sicut & nunc agit, inquiens, IN TOTO

CORDE MEO EXQVISIVI TE. *quæ uerba ponderanda sunt, ut eam ob causam minime dixerit,* Ex *toto corde meo dilexi te, quia absq; charitatis aduentu hoc impleri non potest, ut* Deum *ex toto corde amemus, sed* EXQVISIVI TE, *id est ante omnia, atq; ex omnibus naturæ uiribus (à te tamen motus) ut me corrigerem, diligenter quæsiui te.* Ne *igitur* REPELLAS ME A MANDATIS TVIS. *quod eueniret, si lumen tuum ad intelligendum illa non præstares. sic quidem interpretantur.* Tu *autem dic duas considerandas esse mandatorum partes: alteram nimirum ut non peccemus, sicut scriptum est:* Nolite *timere:* Vt *enim probaret uos* Deus *uenit, & ut terror illius esset in uobis, & non peccaretis.* Alteram *uerò partem illorum mandatorum, quæ peccatorum pœnitentiam agere iubent, quemadmodum alibi scriptura inquit:* Conuertimini, *quoniam multus ad ignoscendum est* Deus: *& quemadmodum miseretur pater filiorum, misertus est timentibus se.* secundum *quem postremum modum intelligẽda sunt uerba ista,* Ne *repellas me à mandatis tuis: quasi dicat,* Age *mi* Domine, *ut ex attrito, secundum naturam à te motam, gratia tua inhabitante cõtritus fiam: ne forte gratia non adueniente, haudquaquam condignè pœnitentiam agã, & me in totum repellas à mandatis tuis.* Sic *enim* Domine, *si primo modo legem neglexi, saltem hoc secundo illam implebo: atque implendo, iunior qui nunc sum peccator, sermones tuos seruando uiam meam malam peccatorum corrigam, eaq; correcta beatam uitam ducam.* Hunc *sanè in modum* Beati *in uia sumus, & ut plurimum iusti: non autem quòd natura sancti geniti omnino non peccemus,* Iesu *teste, qui* Nathanaelem *non propterea iustum uocauit, quia nunquam peccasset, sed quia dum pecabat, mox (sicut* Augustinus *testatur) cum peccasse pœnitebat.* Hactenus *de ipsa attritione: sequitur secunda pœnitentiæ qualitas.*

3 ¶ IN CORDE MEO ABSCONDI ELOQVIA TVA, VT NON PECCEM TIBI.

Quæ uerba, ut non peccem tibi, si illos sequamur, qui iuniorem non peccasse defendunt, apertissimè eorum opinionem confirmant. Nam si dicas, ut non peccem tibi, perinde est ac si diceres, ut futura peccata uitem: non autem quòd præteritorum (quæ adhuc non commiserat) pœniteret. Parum tamen hi animaduerterunt, ipsius pœnitentiæ partem unam atq; præcipuam esse, quæ de præsenti proponit futura uitare, quam Salomon his uerbis docet: Cogitaui in corde meo abstrahere à uino (id est à peccato) carnem meam; & alibi Dauid: Statui & iuraui custodire iustificationes tuas. Quod intuens Propheta, ut hanc quoque partem se impleuisse ostendat, uerba hæc subiunxit: IN CORDE MEO ABSCONDI ELOQVIA TVA: non ut illa canibus non reuelaret, sicut Ambrosius et alij interpretantur (nam illa in casu suo locum habebunt, ut domini preciosæ margaritæ porcis minimè cõmunicentur) sed quia in intimo cordis legem domini abscondit, qua iubet ut pœnitendo propositum non peccandi in futurum, de præsenti habeamus: perinde ac si dicat. Hoc propositum in corde meo retineo, VT NON PECCEM TIBI. Quod non ita intelligendum est, ut displiceat in peccato stare, in peccato sponte manens: uel ꝙ cupias à Deo, in futurum ne pecces, cogi, interim uerò eligas peccare: quin potius ut nolis de præsenti, in futurum peccare. At dices, Miseri ergo sumus, quando si possibile Deo est nos absq; peccato immaculatos custodire: pariter & ego non peccandi propositum habeam; ipsa tamen ratio, dum pœnitere uolo, discurrit, fieri posse (quemadmodum frequenter euenit) ut ob proprium defectum gratia non adueniat, & tale propositum frustretur: unde anima anceps manet, quasi semetipsam fallat, quòd singulis quibusq; annis ea proponat, quæ contrarium finem habuisse perpetuò uidit. Ego uerò respondeo, nil aliud scripturam exigere, nisi, ut nolis peccare, cumq; hominem te esse, cui si peccatum nunc offerretur, illud refutares, Dei uoluntati & beneplacito futura cõmittens: quandoquidem Christus non dixit: Non peccabis, quod in nostra

duntaxat potestate non est, sed, noli peccare, quod planè tunc, quando gratia animas nostras, pœnitentiæ scilicet tempore, inhabitat, perfici potest. Neq; eam ob causam, quia propter consuetudinem peccandi, coniectura quædam seu suspicio consimilis peccati futuri, in anima generatur: propriam pacem, in qua post pœnitentiam manes, conturbare debes: satis cum sit pœnituisse, uoluntatemq; hanc non peccandi habere, ac gratiam Dei, ne pecces, præstolari, pro qua oras: præsertim cum non debeamus suspicando futura iudicare. Nam ubi peccatum adueniat, magis dicemus tunc, ut nouum propositum malum causa sit peccati, q̃ quòd præsens propositum bonum habitum iam, non fuerit pro illo tempore bonum. Quis enim scit, an gratia comite non pecces? Domino dicente; Non'ne duodecim horæ sunt diei? Putabat nanq; Magdalena se & scortatores illo unguento ungere quo Iesum unxit: Paulus præterea, si qui uiæ eius eßent, eos uinctos Hierusalem ducere: sed ipse propter Christum longa catena ligatus fuit. Petrus item contrà posse se cum Christo commori: ipsum tamen ante Galli cantum ter negauit. Audi, rogo, quid D. Augustinus in soliloquijs dicat: Dicebam enim, hoc faciam; illud perficiam, & nec hoc; nec illud faciebam. Aderat uoluntas, non erat facultas: quoniam de meis uiribus confidebam. Nunc autem confiteor pater cœli & terræ, quòd non est hominis uelle quod poßit, aut posse quod uelit; quoniam à te greßus illorum diriguntur, qui à te dirigi confitētur, hoc enim experientia nobis persæpe ostendit, dum multa facimus, quæ non facere proposuimus: multa quoque peccata haudquaquam committimus, quæ tamen cōmittere decreueramus. Ad quæ animaduertentes, gratiæ Dei per omnia nos committere debemus, Thobiæ exemplo, qui testans sic filium admonuit: Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut uias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Itidem & Dauid, qui nil aliud in hoc Psalmo atq; ubiq; in ore habet, q̃ ut petat ut doceatur, dirigatur, ac intellectus, sapientiæ & scientiæ dona sibi dentur: quibus, gratia Dei comite,

mite, beatam uitam ducere poſſit. Deinde uerò ſubiungit: TIBI, iuxta illud, Tibi ſoli peccaui. Habes igitur quomodo Propheta quatenus liberum arbitrium à Deo exſuſcitatum dabat, propoſitum non peccandi gratia Dei habuerit: in quo ſecunda qualitas pœnitentiæ eſt: quam ut pœnitens habeant neceſſe eſt.

4 BENEDICTVS ES DOMINE: DOCE ME IVSTIEICATIONES TVAS.

Multa in ſcripturis nomina reciproca ſunt, utpute ſanctus, benedictus, & eiuſmodi generis reliqua: quibus ſanctus dicitur Deus, ſanctus quoq; & homo: diuerſe tamen uoces has interpretamur. ipſe enim cum benedicit nobis, inſpirat, ſanctificat, gratias confert, uel conferre promittit: nos uerò nomen ſuum cum laudibus extollimus, laudamus & prædicamus. Atque hinc cum dicimus, ſanctificetur nomen tuum: non idcirco id dicimus, quaſi prius non fuerit ſanctum: ſed ut ſanctum à nobis habeatur, eiusq; ſanctitatem ab omni re, quæ ſanctitatem impediat, ſegregati recipiamus, laudemus, ac prædicemus. Patent præmiſſa ex Paulo, cum ait: Patres noſtri ſecundũ ſuam uoluntatem erudiebant nos: Hic autem ad id quod utile eſt, in recipiendo iuſtificationẽ eius. Et alibi: Benedictus eſt Deus (in ſe) qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ita q̃dem, ut his cognitis, dicã: BENEDICTVS ES DOMINE, in te, qui propter te benedicis me: eo certè modo, quo tu ſolus ſanctus ſanctificas me. Benedictus, hoc eſt laudabilis inæternum, et in ſeculum ſeculi. Non ſecus ac ſi dicat, Tu qui benedictus es in te, benedic me. At dices, quid optas? DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS. Sed quæres fortaſſe, cur uerba iſthæc Propheta ſubiunxit? Non'ne paulò ante dixerat, In corde meo abſcõdi eloquia tua? quæ abſcõdere nõ potuiſſet, niſi illa prius didiciſſet. Cui quæſito quidã reſpõdent, non propterea Dauidẽ dixiſſe, Doce me iuſtificationes tuas, ut Domino docẽte illas dũtaxat intelligeret (hoc enim conſumatũ erat) ſed ut doctus fructuosè iuſtificationes conſeruaret: quaſi non ſufficiat ſemel oraſſe et

qui perpetuò ut gratia Dei secum adsit, non orat. Tu autem dic, quòd tametsi Propheta in tertio uersu confessus fuerit se abscondisse eloquia Dei, ut non peccaret illi, non tamen cuncta intellexerat, quibus ad confitendum omnia peccata in sequenti uersu eget: ut cùm omnia didicerit, per illa quæ didicit, propria peccata agnoscat, & confiteatur; Verum Christiani officium, cum confiteri peccata sua statuit, Deum orare, ut uel oblita uel occulta peccata in memoria habère possit: ne ob negligentiam propriam aliqua omittantur, quod planè donum oratione hac præuia ipse confestim obtinuit, ut in sequenti uersu patet.

5 ¶ IN LABIIS MEIS PRONVNTIAVI OMNIA IVDICIA ORIS TVI.

Sunt quidam, quibus placet, Prophetam, qui supra absconderat eloquia Dei, congruentiori tempore illa prædicasse: quos, multiplici ratione, minimè sequor: tum scilicet quia non sic intelleximus super uerbis illis Prophetam abscondisse eloquia Dei: tum etiam quia in domo confusionis Propheta manet: unde non concionibus, sed pœnitentia duce discedendum est, quæ oris confessione perficitur, sicut uerba ipsa docent, IN LABIIS MEIS PRONVNCIAVI, *oris confessionem ostendens, iuxta illud: Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris. Hoc enim tanquam obediens filius consummaui, dum gratia tua comite in labijs meis pronunciaui* OMNIA IVDICIA ORIS TVI. *Siquidem spiritu oris tui ac digito tuo præcepta omnia, quæ in lege continentur, nobis data sunt. Circa quæ uerba minimè Hieronymum sequar, ut partem pronunciando, omnia pronunciauisse uideatur: nisi senserit occulta seu oblita fuisse ea quæ omisit peccata: imo potius ut* OMNIA IVDICIA *oris Dei, quæ scili cet peccata sua ostēdebant, proindeq; ipsum condēnabant, adamussim peccata confitendo pronunciauerit. Quandoquidē homo peccata propria confiteri non potest, quin simul legem peccatum ostendētem agnoscat, uti Paulus docet, cum ait: Per legem cognitio peccati. Cui opinioni optimè alia Hieronymi uerba fauent. Idcirco sacræ scripturæ pro-*

mulgatores, ipsa Dei mandata testimonia uocasse, ut per hæc uerba alterum peccatores intelligerēt, nempe se coram testibus peccasse, à quibus accusantur, cùm male uiuunt. Et dicit OMNIA, ut alteram pœnitentiæ qualitatem, hoc est confessionem indiuiduam esse oportere ostendat. ORIS TVI, tametsi per Prophetas & Apostolos fuerint promulgati, Paulo teste, cum ait: Nos gratias agimus Deo, quoniam cum accepistetis à nobis uerbum auditus Dei, recepistis illud non ut uerbum hominum, sed sicut est uerè, uerbum Dei, qui operatur in nobis. Per quæ iam intelligis quid pœnitens à Deo uocatus suapte uoluntate facere obligetur. Superest nunc ut uideamus quid è regione gratiæ Dei aduentus egerit, per quam ipsa attritio in sequenti uersu in formatam contritionem conuersa fuit.

6 IN VIA TESTIMONIORVM TVORVM DELECTATVS SVM, SICVT IN OMNIBVS DIVITIIS. Quasi dicat, postquam, te uocante, uiam meam peccatorum, timens attritus correxi: confestim propter charitatis formam quæ aduenit: IN VIA, id est Christo (sicut quidam tenet) uel sacra scriptura (ut alijs placuit) delectatus sum. Tu uerò dic: IN VIA TESTIMONIORVM TVORVM, quæ ad pœnitentiam nos uocant, et quasi in uia dirigunt interea, dum ad pœnitentiam nos adducis, DELECTATVS SVM. Sed quare delectatus? propter charitatis aduentum. Quis tibi hoc reuelauit? ab effectu causam cognosco. Siquidem contritio mea haudquaquam post orationem quæ præcessit, humana duntaxat fuit, sed charitate referta. eodem argumento hic utens, quo alibi usus fuerat, quando uolens charitatis aduentum ostendere, quæ per se uideri non potest, ab effectu illam se cognouisse dixit, inquiens: Dedisti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, uini, & olei sui, & alio in loco: Conuertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum, & circūdedisti me lætitia. Sic enim spiritus contribulatus propter charitatis aduentum mox

in gaudium conuertitur: quemadmodum hoc re ipsa hi pij Christiani experiuntur, qui rectè sua peccata confitentes, subleuationem quandã non modò animæ, sed etiam corporis post manuũ sacerdotis appositionem sentiunt. Et quò apertius hoc ostenderet, subiungit: SICVT IN OMNIBVS DIVITIIS. non quod per uocem, sicut, terrena supernis cõparauerit: quia cum de terrenis loquitur, super aurũ et topazion gaudium hoc spirituale existimat, terrena uerò tanq; sordes abijcit. sed idcirco sic loquitur, IN OMNIBVS DIVITIIS, ut per hanc metaphorã tempore hoc contritionis infusæ, spiritus sancti donorumq; suorum aduentum ostendat, qui fide præuia, quæ Dei donũ est, pœnitentium corda purificat, perinde ac si dicat, eandẽ lætitiam, quam sæpe, dum Prophetæ munere fungor, in aduentu spiritus & donorum illius gustare consuesco, tempore huius pœnitentiæ quoq; in aduentu charitatis sensi, per quæ contritionis formatæ aduentum psaltes ipse euidentissimè ostendit. Audiamus nunc quid post mundationem peccati domino dixerit.

7 ¶ IN MANDATIS TVIS deinceps EXERCEBOR. uoce passiua utens, ut ostẽdat animas nostras in militia christiana, gratia Dei exerceri. Itaq; exercebor, ut nõ solum pro præteritis peccatis satisfaciam, uerum etiam ut neq; mors à charitate tua me separare possit. & interea dum exercebor, CONSIDERABO VIAS TVAS, per quas animam in statu bono, in quo post pœnitẽtiam est, gratia tua adbuc inspirando (ut Hugoni placet) conseruas. vel CONSIDERABO VIAS TVAS actiuæ uitæ, in qua nunc maneo: ita ut non modò operator, sed etiam contemplator esse uelit. Nam ipsa quoq; uita actiua non solum operatur, uerũ etiam ad illum modum suas contẽplationes ex parte habet, sicut contẽplatiua operibus minimè denudata est, tametsi ut plurimum contempletur. non secus ac si dicat, tua quoq; gratia, qua mũdatus sum, rursum exercebor à te domine, qui peccatorum animas exerces: et quasi per gradus omnes prædestinatos ijs uijs ad te trahis, quas ego contemplari nunquam desinam, sic enim purificata uita, ad penetralia intelle-

ctus tu domine nos pœnitentes perducis, uias tuas in primis ostendens, quibus non modò ad fidem uenire inspiras, sed & cooperatione, ex fide in fidem, atque ex opere in opus animas trahis: elisos deinde pœnitentia erigis, ac noua gratia in statu innocentiæ conseruas: & idcirco
8 ¶ IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS MEDITABOR, ut in illis animam te operante cooperando exercere possim, & ubi propter fragilitatem humanam iterum peccauero, NON OBLIVISCAR SERMONES TVOS, quibus nos doces, ut post unumquodq; peccatum euestigio nos peccasse doleamus: quod pauci animaduertunt, putantes plerunq; rem satis incondecentem esse, ut euestigio post peccatum ad Dei misericordiã recurramus: obliti ad ostium dominum stare, immo et pulsare, ut peccator ianuam cordis adaperiat ei. Verba Prophetæ rursum obserua lector, cum ait, Non obliuiscar sermones tuos, quia etsi quispiam peccando Dei obliuiscatur, illum tamen obliuisci nũc ostendit, qui non solũ peccat, sed deinde in obstinatione perit. Sic enim & alibi idem Dauid uocem illam, oblitus, pro eodem usurpat, inquiens: Erraui sicut ouis quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus, intelligens ut tunc omnium sermonũ uel mandatorum non obliuiscamur, quando nos peccasse pœnitet. id planè contemplans quod Ioannes dixit: Filioli mei hæc scribo uobis ut non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, tametsi septuagies septies peccemus. Quibus iam uides, qua arte & melodia singula quæ Theologi ueram contritionem continere prædicant, in his octo uersibus Psaltes concluserit. An autem forma tradita in cap. Omnis utriusq; sexus, diuino præcepto introducta sit, suum particularem habebit locum, ubi fusissimè hoc tractabo. Non quidem disputare, sed potius uerba explicare, meum hic institutum est.

G GIMEL ג

Latinè retributio, plenitudo.



ITERAM hanc, retributionem simul & plenitudinem significare omnes confirmant, sed quænam retributio sit, variè sentiunt. Putant nanque plerique ex illis, ut idem iunior, qui (ut quibusdam placuit) in secundo octonario adhuc non peccauerat, in hoc tertio fidem & gratiam adaugeri petat: ut sermones Domini, per quos iunior uiam suam corrigit, custodiat. Tu uerò, qui saniorem opinionē alteram fuisse uidisti; nempe ut iunior ille peccauerit: dic nil aliud Prophetam in hoc octonario agere, quàm peccati iterum commissi ueniam petere, quod est retribuere, prout litera significat: & hoc quidem, ut deinde legem, quæ ipsius obiectum est, reuelatis oculis ob peccatum obtenebratis, à morte in qua erat, in uitam rursum resurgens, & seruare & contemplari queat. Sic enim intelligendo, altera significatio literæ Gimel impletur, quæ plenitudinem gratiæ significat, dum non semel, sed sæpe nos ad pœnitentiam adducit. Diuiditur autem in partes duas, quarum prima usque ad uerba, illa Incola ego sum, se extendit; in qua dona sapientiæ, scientiæ & intellectus petit, quæ ignorantiam nostram, propter quam in peccato cæci permanemus, auferunt. In secunda uerò cum Deo loquens, sex rationes, propter quas hoc sperat, addit, non quòd ipsi Deo notæ non sint, immo potius ut Deo obtemperet, qui ab homine hoc exigit, ut id quod Deo notum est, ore proprio obsecrando narret, sicut scriptum est: Reuela domino uiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

Gimel ג RETRIBVE SERVO TVO, VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM SERMO-

NES TVOS.

Gimel 2 REVELA OCVLOS MEOS, ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TVA.

Gimel 3 ¶ INCOLA EGO SVM IN TERRA: NON ABSCONDAS A ME MANDATA TVA.

Gimel 4 CONCVPIVIT ANIMA DESIDERARE IVSTIFICATIONES TVAS IN OMNI TEMPORE.

Gimel 5 INCREPASTI SVPERBOS, MALEDICTI QVI DECLINANT A MANDATIS TVIS.

Gimel 6 AVFER A ME OPPROBRIVM ET CONTEMPTVM: QVIA TESTIMONIA TVA EXQVISIVI.

Gimel 7 ETENIM SEDERVNT PRINCIPES, ET ADVERSVM ME LOQVEBANTVR, SERVVS AVTEM TVVS EXERCEBATVR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS.

Gimel 8 NAM ET TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST, ET CONSILIVM MEVM IVSTIFICATIONES TVAE.

1 ¶ RETRIBVE SERVO TVO, VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM SERMONES TVOS. *Cum uox ista, retribue, quatuor sensus habere possit, primum ut malis mala, alterum ut bonis bona iustus Deus retribuat: tertium, ut malis quoq; bona misericors Deus elargiatur:*

& quartum, ut mala bonis Satanam facere permittat: hinc illi qui tenent Prophetã non peccaſſe, ſecundo modo notulam hanc interpretantur, dicentes; RETRIBVE, *id eſt præmium bonorum operum iuſtis da. quaſi innocentis conſcientiæ ſit, quempiam ab eo cui ſeruit, mercedem petere, ut Petrus Domino dixit; Ecce reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Alij uerò ſecũdum quintum ſenſum hunc in modum Prophetam locutum eſſe cenſent: Tu qui non ita das ſicut homo dat, nempe ut ab obligatione te eximas, ſed rurſum habenti dones: Retribue, id eſt adauge fidem, dona, atq; iuſtitiam, in qua ſecundum menſuram mihi condonatam uiuo. Nos autem qui illos ſequimur, qui iuniorem peccaſſe defendunt audacter dicamus, Prophetæ ſcopum hũc eſſe, ut à ſecundo uſq; ad quintum octonarium nil aliud agat, q; ut peccatorem illum, qui ſeptuagies ſepties peccauit, modumq; quomodo conuertatur oſtendat: & cum ait, Retribue ſeruo tuo, uiuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos, in hunc modum oret: O domine tu qui mihi mortuo iam propter peccatum, per aduentum gratiæ tuæ in primo octonario uitam dediſti: iterumq; cum peccando in ſecundo octonario perijſſem, & dicerem, in quo corrigit adoleſcentior uiam ſuam? me per pœnitentiæ donum uiuificaſti: nunc quod denuo peccaui,* RETRIBVE, *id eſt rurſum eandem gratiam pœnitendi tribue, quemadmodum uerbi retribue atque literæ gimel ſignificatio docet.* SERVO TVO, *redempto ſanguine dilecti filij tui. & qui ſæpe mihi uitam dediſti, iterum* VIVIFICA ME *per aduentum gratiæ tuæ, quã homo in uita beatam uitam ducendo uiuit, Ioanne teſte, cum ait, Gratia Dei, uita æterna. Hic Germanus ſenſus, ut in uia iuſtificari, non autem æternam ſalutem popoſcerit, ſiquidem poſt uitam habitam ſermones Domini ſe cuſtoditurum ſpondet, quod uita comite conſummatur, ut ſequitur: Et cum hunc in modum uiuificatus fuero,* CVSTODIAM SERMONES TVOS. *qui ſemota gratia, à nobis cuſtodiri non poſſunt.*

REVE-

REVELA OCVLOS MEOS: ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TVA.

Cum ipsa quoq; uita actiua contemplationi uacet, sicuti iamdudum dixi, Propheta, qui bis uiuificatus fuerat, atq; experientia didicerat non posse hominem, donec in peccato est, legem meritoriè scrutari: non modo peccatum denuo cōmissum sibi remitti petit: sed etiam ut ei lumen uerum condonetur, quo Dei mirabilia considerare possit per Christum, qui sua passione uelum fregit, & omnia reuelauit: uerbo hoc utens, REVELA*; quod est contrarium uerbi, uelo. oculos illorum tergendo, qui natura cæci non sunt, sed propter multa uelamina in tenebris ferè uiuunt. Reuela igitur* OCVLOS MEOS *mentis obcæcatos propter peccatum commissum, quia tenebræ obcæcant oculos. Sed quid petit, cum ait, Reuela oculos meos? Da donum intellectus inquit. Præpara tu domine hunc in modum animam meam: quandoquidem sola gratia tua uoluntas hominis (ut Augustino placet) ad bonum præparatur præcedente aliqua cognitione ueritatis: ad quam minimè secundum naturam possumus peruenire: sed per donum sapientiæ tuæ, quæ intellectus & scientiæ dona in se continet: quibus Spiritus sanctus hominis mentem illustrat. A te Domine sapientiam hanc peto, qui affluenter ipsam das omnibus, qui in ueritate nihil hæsitantes petunt eam. & hoc quidem ut illa duce oculi reuelati, mirabilia de lege tua cōsiderare possint.* ET, *cum oculos (multifariam uelatos) reuelaueris, quasi onager in spatiosis sermonum tuorum pratis percurrens,* CONSIDERABO *oculis intellectus* MIRABILIA DE LEGE TVA. *mihi nunc uelata. At dices, quod uelum in lege adest? Primum, quia usque in hodiernum diē id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet illis, qui euangelicam legem non acceperunt, minimè auferendum, donec conuersi fuerint ad dominum. Velum item uerbi incarnati, per Ecclesiam Christi perfectè Angelis reuelatū. Velum præterea carnis Christi uerbum uelantis, quando post aduentum Christi, antequam Spiritus in nobis re*

E

gnare inciperet, Christi caro uerbi uelum erat. Verba quoq; suam passionem significantia, uelata (sicut Lucas testatur) erant, ita ut Apostoli quoq; certis temporibus ea quæ carnis, non autem ea quæ spiritus erant intellexerint, fuerat enim cor Dauidis in aduentu fidei reuelatū: sed quia per peccatum iterum illud obscurauit, ut iterum reueletur orat. At dices, cur is, qui actiuæ uitæ uacat, tantoperæ legem scrutari optat? nempe ut à peccatis exutus, scrutando legem, mirabilia in lege contenta expendat: illisq; perceptis, intelligendo & amando ipsi Deo coniungatur. Sic enim summo bono in lege concluso scrutando fruimur: quandoquidem intelligentia causa est amoris: amor uerò, custodiæ legis: custodia legis, peccatorum exclusio. Ad quæ animaduertens Glossa, & Augustinus, dixerunt, minimè nos sermones custodire per obedientiam posse, nisi illorum intelligentia præcedat. Hæc enim ubi hunc in modum explicentur, literæ gimel proprietatem alteram satis claram ostendent, quæ plenitudinem quoq; significat: non illam quam Christus solus habuit, aut illam Mariæ, quæ gratia plena fuit, uel Stephani, sed magis ut gratiæ plenitudo quædam in uia sit totiens hominem peccatorem ob peccatum mortuum uiuificare.

3 ¶ INCOLA EGO SVM IN TERRA. Hæc secunda pars octonarij est, in qua animaduertens Propheta, quòd in ijs qui cadunt ex debilitate naturæ, malum est perseuerare: quanquam peccauerit, sex rationes sibi coram Deo proponit, propter quas ea quæ paulò antea dixerat, debeat sperare, inquiens: Peccaui, mi domine, non tamen in peccato obstinatus uiuo: & scio quòd tu, qui custodis aduenas, patribus nostris peccatoribus à longe salutantibus, ac tanquam peregrinis in hac terra ambulantibus, mandata tua pœnitentiæ minimè abscondisti. Aspice igitur quoniam EGO quoque INCOLA SVM IN TERRA, id est ueluti peregrinus in terra: uita hac tanquam transitoria utor, cœlestem Hierusalem perpetuò inquirens. tu igitur Domine qui isthæc nosti, & sæpe idcirco nos peccare permittis, ut cognosca-

mus egere nos gratia tua, NE ABSCONDAS A ME in futurum MANDATA TVA. quasi ys mandata Dei abscondita sint, qui terrena iugiter sapiunt, non autem illis, qui tanquam peregrini hac terra utuntur: Magnum quippe prædestinationis signum, cum anima in medio peccatorum consistens, peregrinam se agnoscens, oculos tollit, & domum propriam in cœlis quærit interea, dum in aliena manet. Contrà uerò, quando obdurati homines perpetuò oculos solo fixos tenent, terrã pro obiecto habentes, qua in uita fruuntur, ut subtus terram anima & corpus perpetuò post primam mortem in barathro inferni flammis excurant. Hæc prima ratio est: sequitur secunda.

4 ¶ CONCVPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE IVSTIFICATIONES TVAS IN OMNI TEMPORE. Magnam admirationem Augustino uerba hæc faciunt, quomodo esse possit, ut quispiã concupiscat desiderare, & unum assequatur, nimirum concupiscere desiderare: alterum uerò non, scilicet desiderare. siquidem in spiritu hæc duo, non autem in carne consistunt, ut spiritus aduersus carnem concupiscat. Durum item ei uidebatur, duo & non unum esse: quodq; desiderium iustificationum, non autem ipsas iustificationes concupiscat: quoniam dum desiderium earum concupisco, ipsas uideor concupiscere, Augustinus ait. Quibus factum est, ut ipse & aly diuersè uersum hunc interpretari cœperint, dicentes animam concupiuisse in præteritum, antequam opere, aliquando iustificationes obseruasset, desiderare iustificationes ipsas. pro quo afferunt præcedentia uerba, incola ego sum in terra, post implementum iustificationum fuisse prolata. Ponderant præterea & illa, Seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Quæ opinio & si uera sit, literæ tamen, ut puto, non congruit, quæ Prophetam post seruatas iustificationes iterum cecidisse ait. Rursum quia alium sensum loci quos ponderant, habent, sicut eisdem in locis dictum fuit. Augustinus uerò in hanc sententiam inclinat, quòd sicut est dare

uoluntatem bonam & malam, æque possumus odio habere concupiscentiam malam, & diligere concupiscentiam bonam, per quam homo iustificationes seruat, uel illas odio habet, ad quem modum desiderium bonum concupiscimus, quo caremus. Qui quidem sensus optimus in se est, ut quispiam possit optare desiderium bonum, eo nimirum modo, quo infirmus appetitum optat. Sed minime ex hoc Prophetæ mentem comprehendimus intelligentes, cur uerba hæc dixerit. Ambrosio autem, & ijs qui ipsum sequuntur, placuit idcirco uerba hæc geminata fuisse, ut plenissimam uoluntatem seruandi iustificationes demonstrent, quemadmodum alibi Iesus dixit: Desiderio desideraui hoc pascha mãducare uobiscum; quasi eo modo, quo plus est uita uiuere, quàm uiuere: sic plus sit concupiscere desiderare, quàm simpliciter desiderare, ipsarum uidelicet iustificationum prouentum: quod plerunque ob charitatem, quæ ardens non est, in sola concupiscentia manet: infirmi conualescentis instar, qui id quod optat, perficere nequit: quandoquidem iustificationes coram nobis præsentes adsunt, sed illas sæpiuscule ignoramus: sæpe uerò & si illa cognouerimus, minimè seruamus: quoniam (ut Augustinus ait) præuolat intellectus, sequitur autem tardus uel nullus effectus, ob quæ possumus illa quibus caremus, concupiscere desiderare. Tu uerò Ambrosium sequens, præter ea quæ rectè ponderat, considera Prophetam, qui secundò cecidit, cum uitam peteret, uerba hæc CONCVPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE, pro ratione assignasse, quare rursum à Domino erigi sperabat: non secus ac si diceret, cur tam diu pauebo? non'ne ille sum, qui in statu iræ dixi, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: Vtinàm dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas? In statu uerò gratiæ, iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque? Rursum & postquam peccaui, & à gratia cecidi, in octonario secundo, In toto corde exquisiui iustificationes tuas: ita ut omni tempore anima mea à spiritu tuo nunc mota, nunc uerò & concomitata, iustificationes tuas, quas non

ſeruabam, deſiderare ſaltem ut eas ſeruarem, concupiuerim, magnum deſiderium ſeruandi legem coniunctione horum uerborum oſtendens, ſicuti recte Ambroſio placuit. Quæ cum ita ſe habeant, cur nunc pauebo? Scis enim Domine non poſſe me poſt peccatum meritoriè iuſtificationes tuas diligere: quandoquidem motus meus, qui te animam mouente ſecundum naturam operatur, non poteſt abſque te ſupernam ſapientiam tuam ex toto corde diligere, qua præuia tum iuſtificationes, tum etiam contenta in iuſtificationibus tuis opere redamamus. Id planè quod meum erat feci, nempe ut te mouente cor meum, dilectione humana anima mea omni tempore deſiderare concupierit iuſtificationes tuas: non deſiderium concupiſcendo, ſed potius ſecundum Ambroſium, immo expreſſa Prophetæ uerba, ut ipſas iuſtificationes concupiuerit: ita quidem, ut concupiſcentia & deſiderium naturæ, quibus animam præparaui, in finibus magni deſiderij permanſerit, quod retinebam futuri aduentus ſapientiæ ſupernæ: nempe ut ſuperna atq; humana ſapientia conglutinatis, opere meritorio iuſtificationes tuas ſeruarem. Nil certè ultra tentare potui quàm feci, ut deſiderare concupiuerim. Tuum igitur eſt, ut ſupernam ſapientiam infundas, quæ mecum habitet, & mecum laboret, quemadmodum per os ſapientis promiſiſti, quando dixiſti, Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe priorem oſtendat. Qui de luce uigilauerit ad illam, non laborabit. Hoc equidem firmiſſima ſpe expecto, quoniam & ſi gratia, neceſſitate coactionis minimè hominis præparationem ſequatur: ex neceſſitate tamen infallibilitatis, ſeu immutabilitatis, ſecundum quòd eſt à Deo, non autem ſecundum quòd eſt à nobis, præparationem noſtram ſequitur. Noui Domine unumquemq; noſtrum ad gratiam tripliciter diſponi, per opera ſcilicet legis à peccato retrahentis, per opera charitatis animam ſanantis, & per opera humilitatis Deum lenientis, quæ cum homo ipſe præſtare non poſſit, hoc ſaltem præſtare debet, ut à Deo motus concupiſcat iuſtificationes ſuas deſiderare, id eſt in to-

to corde sapientiæ suæ supernæ aduentum præstolari, illamq; in iustificationibus suis uelatam exquirere. Nam minimè iustitia in eo manet, in quo uera sapientia superna non adest. Hæc itaque considerans, quod potui feci, ut concupiscerem desiderare IVSTIFICATIONES TVAS. uerè tuas, siquidem tua magis opera coronas, cum opera nostra coronas, & hoc non semel, sed IN OMNI TEMPORE, quemadmodum suprà dictum fuit, concupisco & nunc: nec dubito quin eadem misericordia à manu satanæ animam meam eripiat, ut te summo bono fruatur.

5 ¶ INCREPASTI SVPERBOS protoplastos: angelos uerò maledixisti: ut ostenderes, non omnes peccatores perpetuò à te maledictos esse: eò quod hi duntaxat MALEDICTI sunt, QVI DECLINANT A MANDATIS TVIS. hoc est, qui neq; mandata seruant, neque ullo unquam tempore illa non seruasse pœnitent, sicut scriptum est, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, inter quæ ipsa pœnitentia adest: à qua ubi declinauerimus, tanquam obstinati maledicti sumus, perinde ac si dicat, minimè ambigo, quin dona à me narrata adueniant, quibus, cum protoplastis pœnitendo, iustificationes tuas seruare queam: quoniam inter obstinatos angelos, & peccatores homines longè interest: quandoquidem obstinati angeli maledicti sunt, & qui illos imitantur: peccatores uerò protoplastos Deus increpuit, terram maledixit, & pœnitentiam illis sua gratia reliquit, quam & nobis protoplastorum filijs dedit: quemadmodum in historia Adami patet. Quod si ita est, cur timebo? Et est tertia ratio, per quam animam ad sperandum impellit, minimè obstinatum se esse censens, ut cum patre diabolo in maledictione uiuat.

6 ¶ AVFER A ME OPPROBRIVM ET CONTEMPTVM, QVIA TESTIMONIA TVA EXQVISIVI. Ambrosius & Augustinus occasionem dederunt, ut alij dicant, Aufer à me contemptum & opprobrium,

quod propter te ea de causa audio, quia testimonia tua, id est martyria à te præcepta, ut propriam crucem tollamus, exquisiui: quæ sententia uera in se est, quandò re ipsa hodie experimur sectam Anabaptistarum quadam in Ciuitate VVestfaliæ alio nomine Monasterium dicta, Apostolos & Martyres eam ob causam irrisisse, quia martyria pati pro Christo elegerunt. Extraneus tamen intellectus iste à materia octonarij istius, tum ea ratione est, quia de ipsa hominis resipiscentia agit, tum etiam quia Propheta post ingressum uitæ contemplatiuæ, non autē in actiua has afflictiones narrat. Alijs uerò placuit, ut ecclesia loquatur: & hoc magis absurdum penes me esset, ubi literam claram habemus, uelle ijs trasgressionibus uti, ut modo Propheta, plerunq; iustus homo, sæpe Christus, & sæpiuscule ecclesia neglecta pastoris huius methodo loquatur. Noui quidem Prophetam ecclesiæ uel populi uice, aut econtrario multa narrare, sed hanc libertatem tunc admittimus, quando perspicuè pro illis Prophetam loqui cernimus: uel aliter litera rectè explicari non potest: non autem ut perpetuò liceat ad libitum Prophetæ uerba confundere. Dionysius uerò Prophetam ne alijs ipse opprobrium inferat, orasse affirmat: uel quòd illud opprobrium, quod perpetuò in dæmonijs, temporaliter uerò in protoplastis permansit, dominus amputaret. Qui quidem intellectus ad limina usque ueri sensus peruenit, non tamen in domum intrauit. Quocirca dic, O domine, memor sum quando primi parentes ob superbiam ceciderunt, & opprobrium nuditatis suæ intuentes, ex folijs ficus fecerunt sibi perizomata: proprijq; opprobrij conscij, à te uocati, quia sapiētia quoq; sua denudati erant, se absconderunt: sed tu Domine misericordiarum plenus, per fidelem pœnitentiam opprobrium eorum deinde abstulisti, AVFER igitur A ME fidelissimo seruo tuo per gratiam in animam meam infundendam, qua nos ad pœnitentiam adducis, OPPROBRIVM quod propter peccatum pati promerui, & gratiam tuam infunde, qua comite ad te uenire non erubescam. Et, hunc in modum CONTEMPTVM MEVM, qui te con-

temnens, à te contemptus sum, sic enim spero mi domine, QVIA cum protoplastis te me uocante ad pœnitentiam, non fugi, sed TESTIMONIA TVA EXQVISIVI. id est diligenter concupiscendo desiderare quæsiui, quod meum erat feci: neque aliud superest, nisi ut id quod bonitatem tuam decet, præstes, quemadmodum paulò ante dictum fuit: Hanc quartam rationem alijs addendo, ut maiora ipse debeat sperare, qui Christum in testimonijs contentum exquirit, q̃ protoplasti fugientes obtinuerint: quoniam prope est dominus omnibus inuocantibus eum, & preces eorum audiet.

7 ETENIM, quæ uox sequentia prioribus coniungit: quasi (quorundam sententia) dixerit, ijdem PRINCIPES, qui me martyrium inquirentem deridebant, sederunt. Tu autem dic, ijdem principes, nimirum inferni, qui primos parentes modico spatio tentarunt ac uicerunt, SEDERVNT in hac tentatione mea longiori tempore me tentando. ET ADVERSVM ME, id est animæ meæ perniciem LOQVEBANTVR, mundi huius delicias pollicendo: sed nõ tam repente ego succubui, sicut illi fecerunt, quoniam SERVVS TVVS à Iesu redemptus, ac iustitiæ tuæ seruire dedicatus, in medio tentationis EXERCEBATVR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS. uoce passiua: ut gratia Dei, quàm tentationis tempore secum habebat, aliquo temporis curriculo tentationibus se restitisse ostendat, quam ob causam plus quàm illi hac quinta ratione ueram pœnitentiam, tanquam ille, qui gratia Dei collectis uiribus certarit, præstolatur.

8 NAM ET TESTIMONIA TVA, MEDITATIO MEA EST: ET CONSILIVM MEVM, IVSTIFICATIONES TVAE.


voces has NAM, ET, quæ coniunctiones sunt, subnectens, ut præmissis noua addat: non secus ac si dicat, non solum tempore peccati restiti, uerum etiam TESTIMONIA TVA scripturarum, MEDITATIO MEA EST, præsenti tempore loquens, quasi semper meditatio sua fuerit, à

rint: à quibus consilium pœnitendi cepit, ut sequitur, ET CONSILIVM MEVM, IVSTIFICATIONES TVÆ *sunt, quæ spiritu tuo in illis contento inspirante, ad pœnitentiam me uocant: palam testificans, omnia dona præterita, omne consilium & robur ab ipsa lege prouenisse, quæ animam instruit, gratiam petens, quæ uigorem illi, ut seruetur tribuat. Hic uerus literæ sensus est, Prophetæ methodo consentaneus, qui peccatorem septuagies septies peccantem, qua uia resurgat ostendere usque ad octonarium quintum elaborat: non autem ut iustus homo augmentum uirtutum et donorum petat, de quibus infra fusius tractat. Hunc igitur intellectum eam præsertim ob causam amplectamur, quia si octonarium hunc non de peccatore, sed de iusto homine loqui diceremus, dissonantia quædam auribus obstreperet, præsertim ut Ecclesia dicere incipiat, Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua quæsiui. Deinde uerò solus Dauid subiungat: Seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis, aptius certè fluentem literam omnium quatuor octonariorum interpretabimur dicendo, Dauidem post peccata perpetuò esse locutum: quemadmodum in sequenti octonario apertius patebit. Et denique eam ob causam hunc sensum amplecti compellor, quia sub litera Gimel sumus, quæ tum retributionem, tum plenitudinem significat: & aliter intelligendo, ipsam plenitudinem non adeò amplam inueniremus.*



¶ D DALETH ד

Latinè timor, natiuitas. Tabularum.



VO literam hanc significare multi contendunt, timorem nimirum, & natiuitatem, quæ ambo in timore, qui initium sapientiæ præbet, comprehenduntur, sicuti Hugoni *placet.* Nos *autem dicamus timorem à lege factorum prouenientem tabulis sculptam, quæ uias nostras malas ostendit, per natiuitatem gratiæ in lege fidei contentæ excludi: quandoquidem non aliam ob causam utranq; legem sibi proponit, nisi ut per alteram timore refertam instrueretur: per alteram uerò, quæ omnem timorē foras mittit, adiuuaretur.* Non *quidem hunc germanum esse sensum negare poterit, qui admirandam huius diuini poetæ artem obseruauerit, super ipsa uoce uiarum dormitando, atq; currendo ferme in omni uersu poetarum more ludentis: modò pauimento, modò uerò legi euangelicæ hærens, quemadmodum in ipsa contextus explicatione paulò post dicemus,* Finem *imponens actiuæ uitæ, in qua huc usq; ambulauit.* Diuiditur *autem in duas partes.* In *prima usq; ad uersum octauum uiuificari se & conseruari obsecrat.* In *secunda uerò, quid charitas in eius aduentu operata fuerit, narrat.*

Daleth 1 ¶ ADHAESIT PAVIMENTO ANIMA MEA, VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

Daleth 2 VIAS MEAS ENVNTIAVI, ET EXAVDISTI ME: DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Daleth 3 VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM

INSTRVE ME: ET EXERCEBOR IN MIRABILIBVS TVIS.

Daleth 4 DORMITAVIT ANIMA MEA PRAE TAEDIO, CONFIRMA ME IN VERBIS TVIS.

Daleth 5 VIAM INIQVITATIS AMOVE A ME, ET DE LEGE TVA MISERERE MEI.

Daleth 6 VIAM VERITATIS ELEGI, IVDITIA TVA NON SVM OBLITVS.

Daleth 7 ADHAESI TESTIMONIIS TVIS DOMINE, NOLI ME CONFVNDERE.

Daleth 8 ¶ VIAM MANDATORVM TVORVM CVCVRRI: CVM DILATASTI COR MEVM.

1 ¶ ADHAESIT PAVIMENTO ANIMA MEA, VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

Cum ante aduentum gratiæ, se quasi sub statu noctis, absq; luce, in lege factorum plena timore uitam duxisse Propheta expertus fuisset, deinde uerò gratia adepta, per quam à peccatis mundatus fuerat, se se in uia beata certo tépore ambulasse, ac deinde sæpe cecidisse, itidem & per pœnitentiam, ad quam gratia Domini adducimur, surrexisse: multitudinem peccatorum, quæ quotidie committebat, secum ipse commemorans, desperatus iam de uiribus proprijs, perinde ac si in statu iræ sub lege factorum (quæ propria peccata duntaxat ostendebat) uitam duceret, à Domini spiritu expergefactus, sic ait: ANIMA MEA, *gratia quoq; nunc denudata, quasi lapsa ob peccata commissa, ac impotens se sustinere, tametsi sæpiuscule uiuificata fuerit, tandem* ADHÆSIT PAVIMENTO. *Sed quid per pauimentum intelligitur? Terreos lapides*

quidam esse respondent: quasi metaphora ista terrenas diuitias mundiq; delicias, ac propriam carnem, quibus hactenus hæserat, ostendat. Alijs uerò placet, hoc modo propriam humilitatem commonstrare. Tu autem dic per hanc notulam pauimenti, id demonstrari, quod alia uoce crusta dicitur, quæ in domibus, in quibus habitamus, inter terram & pedes nostros esse solet. Sed cur crustam dixit? ut per hanc metaphoram statum iræ legis factorum declararet, in quo propter frequentiam peccandi adhuc se manere uerebatur, proprium timorem ostendens, ne pauimentum, cui adhæsit, iam iam aperiretur, eoq; aperto in infernum, quem lex factorum subtus se ostendit, intret. Sed rogabis iterum, quomodo pauimentum lex ipsa erit, quod inter pedes & infernum medium stet? Ego uerò legem factorum, ea de re inferni pauimentum esse respondebo, quia instructio hominis est, peccatum ei & pœnas ostendens, à quibus præcauere possit, ne frangendo legem in infernum intret. Plena sanè timoris lex illa factorum est, quæ Prophetam iugiter cruciabat, ne pauimento hoc fracto (sicut quotidie legem se frangere conspiciebat) in infernum denique intraret, quam ob causam secum ipse isthæc contemplans, sibi coram domino loquens ait: Lex factorum ira referta, & ad mortem me condemnans, sic mihi per momenta peccata & pœnam ostendit, ut infernum me protinus intraturum persæpe uidere uidear: & idcirco tu Domine, qui misericordiarum plenus es, ac statum in quo sum cernis, gratiam tuam præsta, & VIVIFICA ME propter peccatum spiritualiter iterum mortuum, ne respicias multitudinem peccatorum meorum. Age mi domine, ne sic uitam ducam, sicut homo lapsus in terram proiectus illi hærere statuit: sed uiuifica me SECVNDVM VERBVM TVVM per os Prophetæ enunciatum, quando dixisti, Quoties ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum eius. Non quidem absque mysterio, quoties, dixisti, ut ostenderes non septies, sed septuagies septies absq; numero te nobis pœnitentibus ignoscere uelle.

secundum uerbum tuum. praeterea, incarnatum: ut gratia id in me operetur, quod ipsi natura praestat. Optabat nanque, sicut multi optant, ne toties periret, ut impeccabilis fieret, secundum eloquium Dei, id est secundum Iesum Christum, qui peccare non poterat. res quidem à Christo pro nobis obtenta, sed praestanda post resurrectionem nostram.

2 VIAS MEAS ENVNTIAVI, ET EXAVDISTI ME: DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS. Animaduertens Propheta non posse nos neque natura sanctos esse, neque per primam gratiam uiuificantem posse nos sine peccato usque ad mortem custodire, nisi Dei adiutorium in maiori gradu nos comitetur, ut usq; in finem perseueremus: post orationem in praecedenti uersu Deo oblatam, ut secundum uerbum suum uiuificaretur, uerba sequentia addit: VIAS MEAS malas peccatorum, sicut nunc facio saepe, ENVNTIAVI tibi, ET, tu EXAVDISTI ME, animam illuminando, ac per gratiam contritionem informantem ipsam uiuificando, sed uiuificatus propria culpa cecidi, neque aliud ago, quàm ut post poenitentiam quasi canis ad uomitum redeam. Tu igitur Domine, cui haec imperfectio mea nota est, non solum uiuifica, sed DOCE ME nunc sic opere custodire IVSTIFICATIONES TVAS, ut iterum non cadam, da perseuerantiam usque in finem: & per eam doce me perpetuo iustificationes tuas seruare: non quidem aliter animam meam in statu gratiae usque in finem solus conseruare possum.

3 VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM, quae timorem excludunt, & gaudium praestant, INSTRVE ME, tu qui dulcis & rectus es domine, qui dirigis mansuetos in iudicio, & mites uias tuas doces. sed quid isthuc erit? num ut qui doctus paulò ante fuit, rursus nũc instruatur? Huic quaesito Ambrosius respondet gradus quosdam iustificationibus inesse, quid prius quid'ue

posterius in ijs quæ operamur, esse debeat, ne præpostere agendo peccemus: quandoquidem scire quid facias, & nescire quomodo facias, perfectæ cognitionis nequaquam est. In quo tamen ordo consistat, tacet. Hieronymus uerò considerat, donum quod petit, fuisse duplex, intellectus nimirum & scientiæ, & cum in præcedenti uersu dixit, Doce me, scientiæ donum in intelligēdo literam petijsse: cum uerò nunc dicit, instrue, donum intellectus, cuius ope spirituales sensus in litera contentos perciperet. Sed quæram ego à Hieronymo, num quando Propheta in præcedenti uersu dixit, doce me, sic orauerit, ut in sola intelligentia res consisteret? Non sanè, eò quòd domino docente, qui audit, discit, ac discendo ad Iesum uenit, ut secum maneat: itaq; iustificationes seruat. Atqui dices, Quid igitur tu sentis? Prophetam, qui hic dicit, instrue me; haudquaquam dona diuersa; sed effectus donorum diuersos considerasse, perinde ac si dicat, Vias meas, in quibus secundum naturam & legem factorum ambulo, enuntiaui tibi; & tu docuisti me seruare iustificationes tuas, non ut solus pergerem, quin potius ut gratiæ cooperator essem. Tu igitur domine, qui docuisti me VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM, quæ in lege euangelica continetur (prout in sequenti octonario declarat) sic INSTRVE ME, ut tu sis ordinator & dux mentis meæ, absque quo iustificationes tuas solus seruare nequirem: quod quidem intellectu practico cooperari magis est, quàm intellectu speculatiuo intelligere, uti Hieronymus censuit. ET, si hunc in modum directus fuero, EXERCEBOR, uoce passiua, qua semper utitur, dum de ipsius animæ exercitio agit, quasi dicat, à te qui me ducis, exercebor in operibus à te præparatis sponte ambulando: cum non uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei sit, à quo exercemur. Sed in quo exerceberis? IN MIRABILIBVS TVIS à te creatis et factis (sicut quidam sentiunt) tu autem dic, in mirabilibus, id est operibus admiratione dignis, uti Chrysost. sentit, in quibus nobiscum cooperaris, ac cooperando admiranda præmia consequimur. At dices, num ipsa opera mi

rabilia? omnino: qua uia? gratia planè, quæ supra naturam, & idcirco admiratione digna est, efficit ut opus cooperatiũ mirabile dicatur. efficit nanq; ut ex parte hominis quoq; ipsum opus mirabile sit, dum ea comite id, quod natura præstare non poterat, supra naturã perficit. Vel in mirabilibus, reliqua Dei mirabilia contemplando, quod Prophetæ propositũ erat, qui in uitam contemplatiuã in sequenti octonario intrare properat.

4 ¶DORMITAVIT ANIMA MEA PRAE TAEDIO, CONFIRMA ME IN VERBIS TVIS. In lingua Hebræa pro hac uoce, dormitauit, ponitur dalaph: ob cuius uerbi significationem Hieronymus uertit, distillauit anima mea præ stultitia: id est, anima mea distillatim defluxit propter stultitiam, quæ me totiens ad peccandum adduxit. Christiani uiri contemplatio optima, quam in mente perpetuò retinere debemus. Cassiodorus tamen dicit hic eum de peccato acediæ loqui, quasi pauimento carnis sic hæserit, ut deinceps renuat orare: quæ opinio ea ratione non placet, quoniam acedia suo proprio significatu tristitiam de spirituali bono significat: in quod peccatum Prophetam incurrisse non constat: Et alia item ratione, quia ubi uerba stare possunt propriè, minimè sunt impropriè sumenda. Prosper uerò et Euthymius dicũt tristitiam hanc à rerum mundi solicitudine effectã fuisse. Card. et Lyra idẽ ferè sentiũt, ponentes differentiã inter dormire, quod est pigri et dormire, quod est lapsi, seu fatigati: fortassis hoc intuẽtes, ꝗ dormitare significat hominem consuetum dormire, qui omnia negligenter agit (sicut Plauto authore grammatici notant.) Adsunt & alij, qui dicunt Prophetam metaphoricè loqui, quasi in longo somno expectauerit, & tædiosus propterea effectus sit: sed quale hoc tædium inde ortum ex dormitatione fuerit, non aperiunt. Tu autem Pauli memor esto, cum ait: Sic uos omnes filij lucis estis, & filij Dei: non sumus noctis neq; tenebrarum: igitur non dormiamus sicut cæteri, sed uigilemus, & sobrij simus: qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte

ebrij sunt. Nos autem qui Dei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis. Post quæ rursum te considerare uolo, hoc Prophetæ institutum esse, nempe ut gratiam perseuerantiæ usq; in finem obtineat: eam ob causam dixerit DORMITAVIT longo tempore (secundum uocabuli significationem, quæ in hoc à dormire in parabola decem uirginum differt, ubi utraq; uox ponitur) ANIMA MEA, intereadum filius noctis eram in peccatis manens: lassa & fatigata absq; donis & gratia tua, pauimento hærens: non solum propter peccata, uerum etiam PRÆ TÆDIO, aduentus gratiæ tuæ, quam inhianter expectabam, illorum instar, qui ob desiderium magnum, rem quam expectant, nunquam aduenturam putant. Tu igitur, qui bonitate tua me per pœnitentiam totiens uiuificasti, & eadem bonitate motus perpetuò habenti das, CONFIRMA ME IN VERBIS TVIS, hoc est, ut tua gratia conseruante duce, uerba tua legis euangelicæ uerbi incarnati ore prolata deinceps custodiam, quasi dicat. sic confirma me gratia tua, ut posthac non cadam. Quod nil aliud est quàm si dicas, quòd gratia ab eo non discedat usquequaque. Hoc enim in initio psalmi credidit, quando dixit, Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque, hoc denique petit.

5 VIAM INIQVITATIS AMOVE A ME ET DE LEGE TVA MISERERE MEI.

Sunt quidam, qui male uerba hæc intelligentes, putant Prophetam hic orasse, ut lex factorum auferretur: sed contrarium dicit: nempe ut legi factorum per mortem Christi ipse moriatur, ne ultrà morti fructificet: ita ut qui per legem Mosis peccatorum reus factus erat, per legem fidei pœnitentia duce ipsi Deo reconciliaretur. VIAM INIQVITATIS, id est legis factorum, quæ propterea iniqua dicitur, quia iniquitates & pœnas ostendit, augetq;, quas deinde non tollit, quin potius occasione accepta supra modum peccans peccatum per mandatum fit, AMOVE A ME, non quòd legem è medio auferas, quandoquidem

lex bona & sancta est, sed ut gratia tua illi addita, uia iniquitatis ex-
inde non sit, immo potius uia ad gratiam atque salutem, prout data
est, uirtutem erudiendo, nequitiæq; aduersando: itaq; tanquam om-
nis æqui atque honesti magistra, modum ostendat, secundum quem in
iustitia uiuere debemus. Continet nanque lex ipsa duplicem uiam, al-
teram scilicet, quæ iniquitatis (occasione accepta, non autem data) esse
potest: alteram uerò, quæ in finem gloriæ æternæ nos dirigit. Quas
uias intuens Propheta, minimè dicit, legem factorum amoue à me:
sed, uiam iniquitatis amoue à me: ut ad iniquitatem lex ipsa uia non
sit, magis autem ad salutem, quam tua misericordia das, ut sequitur,
ET DE LEGE TVA, euangelica, per quam gratia facta est, uitam
stabilem concedendo MISERERE MEI, ut spe beatam uitam ducam,
donec re æternam dabis. & quò ambas simul coniungi debere osten-
dat, sequentia uerba subnectit.

6 VIAM VERITATIS: ELEGI IVDICIA
TVA NON SVM OBLITVS.



Consueuerant Hæretici in illa Dauidis ætate legem omnino cōtemnere,
dicentes, Mala arbor lex est, quæ malos fructus facit. Quibus con-
tradicens Propheta, cui notum erat, non absque gratiæ pollicitatione
ipsam legem factorum per Moysen promulgatam fuisse, haudquaquam
malam esse ait: uerum quia duæ erant, quomodo amplectendæ fuerint,
sequentibus uerbis declarat: VIAM VERITATIS, id est legem euan-
gelicam: quam propterea uiam ueritatis uocat, quia uerbum incarna-
tum ueritatem nunciat, iuxta illud Ambrosij: Qui Christum nescit, le-
gem nescit. Quomodo enim legem scire potest, qui ueritatem ignorat?
quandoquidem lex annuntiat ueritatem. ELEGI, quotiens tu gratiam
præstitisti ut eligerem, & nihilominus IVDITIA TVA in lege facto-
rum contenta, quibus quid facere debeamus iubes, gratia tua adueni-
ente, NON SVM OBLITVS. si quidem secundum legis euangelicæ
præceptum, quæ pœnitentiam ubique prædicat, uel gratia tua duce

legem seruando non peccaui, uel iudicia tua in lege contenta me non seruasse pœnituit. At si causam quæras, cur Propheta dicat, iudicia tua non sum oblitus? Respondeo Prophetæ morem esse, his uerbis uti, quando pœnitendo saltem non seruasse iudicia Dei, hoc modo implementum ostendit: legem fidei, legi factorum eo modo ferruminans, sicut ambæ simul, altera nimirum uerbis expressis, altera uerò sensu mystico, à Moyse promulgatæ fuerunt.

7 ¶ ADHAESI TESTIMONIIS TVIS DOMINE: NOLI ME CONFVNDERE. *Obseruauit Augustinus Prophetam idcirco sæpiuscule uti hoc uerbo Domine, ut per illud ostendat ea se loqui, quæ dominus rectè nouit, quasi dicat, Tu melius nosti domine, quomodo gratia tua, uel comite, uel saltem excitante, omni tempore, etiam peccatorum,* ADHÆSI TESTIMONIIS TVIS, *quæ futurum Messiam peccatorum satisfactorem nobis prædicunt, nunquam in fide hæsitans: ita quidem, ut si altera ex parte pauimento propter peccata, me hærere plenus timore uidebar, testimonijs quoq; tuis futurum Messiam testificantibus hærere haudquaquam destiterim, & hoc, ut à te erectus currerem, reliquum est ut conseruer interea dum curro: quod absque gratia concomitante consummari minimè potest.* NOLI *igitur* ME *nunc* CONFVNDERE: *quod efficeres, si per eundem Christum me in hac gratia non confirmares: siquidem hoc modo permitteres, me ab hostibus omni momento superari. Hactenus de ipsis precibus, quibus gratiam hanc perseuerantiæ usq; in finem petijt.*




8 ¶ VIAM MANDATORVM TVORVM CVCVRRI, CVM DILATASTI COR MEVM. *Quasi dicat, Charitatis itaq; perpetuus aduentus urget, per quam omnia consummamus. Etenim cum in me aliquando aduenisset, non solum pœnitendo iudicia tua non sum oblitus, uerum etiam non peccando,* VIAM MANDATORVM TVORVM, *in qua prius an-*

te gratiam pergere non poteram, sic CVCVRRI, ut confusione contempta, crucem quoq; sustinere promptus fuerim. Eodem planè modo inter dormire & currere ludit, quo inter hærere legi factorum, & hærere legi gratiæ, atq; in uijs ipsis suprà luserat. quasi dicat, tunc sanè cucurri, CVM, per aduentum gratiæ perseuerandi, usq; ad hunc diem COR MEVM DILATASTI, ijs uerbis charitatis habitationem commonstrans, eò quòd per illam cor dilatatur in magno statu gratiæ, quam in uia habemus, dum abunde spiritus charitatem diffundit in corde nostro: semen, inquam, illud quod donec nobiscum est, peccatum, expellit. Nouerat quidem Propheta, in suam animam ipsam charitatem à Spiritu sancto diffusam fuisse: non tamen certus erat, sic aduenisse, ut gratiam perseuerantiæ usq; in finem sibi condonasset, quapropter ut perpetuò adsit, Psaltes nunquam in sequentibus octonarijs orare cessat, quasi dicat, mitte perpetuò illam desursum domine, ut mecum stet, & mecum semper laboret: & hoc modo contemptis uijs meis, tuas absq; peccato uiuens perpetuò amplectar. sic planè uerba hæc interpretanda sunt, non autem út à tentationibus & angustijs liberatus, commodius mandata fuerit scrutatus. hoc enim in sequentibus octonarijs tractabit. Quibus perspicuè iam uides, quàm abunde literæ significationem Propheta explicauerit, timores à lege causatos per gratiæ natiuitatem, seu aduentum excludendo. Hactenus de ipsa uita actiua: ad contemplatiuam nunc nos conuertamus, quam Dauid tanquam benemeritus Christi miles, qui in uita actiua gratia comite strenuè certauit, intrare nunc sperat. Hucusque secunda Psalmi pars.



CH HE ה

Latinè, est, & uiuit.



QVONIAM *tunc maximè* Dei *mirabilia contemplamur, eiusq; misericordiam expendimus, quando à* Satana *suisq; filijs crudelissimè affligimur: hinc* Propheta, *qui uitam contemplatiuam ingressurus est, in qua uirtutes, dona, & beatitudines, ac spiritus fructus re ipsa degustamus: ut ecclesia ex his quæ ipse in medio tribulationum obtinuit, sic certa redderetur futuri adiutorij* Dei, *ut cum* Paulo, *superabundo gaudio in omni tribulatione, obfirmato animo dicere possit: proprias erũnas, quas in tribus persecutionibus,* Saulis, Absalonis, *& spirituum inferni, sustinuit, ecclesiæ in hac tertia* Psalmi *parte recenset.* Verum *quia ante huius uitæ ingressum, ad literam* He *se peruenisse conspexit, quæ, est, & uiuit, significat: arma proinde, quibus ad legitimè certandum opus habebat, ab eo qui est & uiuit, petijt quæ in litera continetur.* Sed *rogabis, his auditis, cur qui perseuerantiæ gratiã in aduentu charitatis in præcedenti octonario obtinuerat, arma nunc petit, ut strenue certet?* Cui *quæsito respondeo, aliud esse gratiam perseuerandi habere, à qua persæpe decidimus: aliud uerò gratiam perseuerandi usq; in finem obtinere, quæ nobiscum perpetuò manet: ita quidem ut* Dauid *perseuerãtiæ gratiam se obtinuisse dixerit, & nihilominus, an perseuerantiæ gratia usq; in finem illa fuerit, adhuc ignoret.* Diuiditur *autem in partes duas.* In *prima usque ad uersum,* Ecce *concupiui, septem dona* Spiritus *sancti aduenire obsecrat.* In *secunda uerò ad finem usq; obedientiam* Deo *in persecutione, quæ aduentura est, pollicetur, petens à* Domino *per* Iesum Christum, *qui est & uiuit, eius misericordia uiuificari.*

He 1 ¶LEGEM PONE MIHI DOMINE, VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM, ET EXQVIRAM EAM SEMPER.

He 2 ¶DA MIHI INTELLECTVM, ET SCRVTABOR LEGEM TVAM, ET CVSTODIAM ILLAM IN TOTO CORDE MEO.

He 3 DEDVC ME IN SEMITA MANDATORVM TVORVM, QVIA IPSAM VOLVI.

He 4 INCLINA COR MEVM IN TESTIMONIA TVA, ET NON IN AVARITIAM.

He 5 AVERTE OCVLOS MEOS, NE VIDEANT VANITATEM: IN VIA TVA VIVIFICA ME.

He 6 STATVE SERVO TVO ELOQVIVM TVVM IN TIMORE TVO.

He 7 AMPVTA OPPROBRIVM MEVM QVOD SVSPICATVS SVM, QVIA IVDICIA TVA IVCVNDA.

He 8 ECCE CONCVPIVI MANDATA TVA, IN AEQVITATE TVA VIVIFICA ME.

1 ¶LEGEM PONE MIHI DOMINE, VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM, ET EXQVIRAM EAM SEMPER. *Placet diuo Hieronymo ecclesiam hic loqui: & cum Bernardo sentit, non licere priuato homini isthæc petere, sed ecclesiæ duntaxat, quæ membra sua habet cum Deo tanquam cum amico loquentia. Nos autem posthabita interpretatione Hieronymi(quam super Psalmis multis rationibus mi-*

nimè eius esse putamus) possumus nos in priuata oratione nostra cum fiducia Heliæ dominum obsecrare, & pro ipsa sapientia absq; hæsitatione orare. Dauidem esse eum qui orat dicimus. LEGEM PONE, id est ostende mihi uiam præceptorum tuorum, & custodiam eam, per uestigium (secundum quosdam.) Alij uerò dum Propheta dicit, Pone legem, diuinam subaudiunt: quasi post legem æternam diuina superuenire debeat, qua altiori modo quàm per æternam in ultimum finem dirigimur; ita ut his uerbis de lege Mosaica senserit. Lyra deinde Prophetæ sensum minimè pendens, quibusdam suis contemplationibus sic Psalmum diuidit, ut potius lectores confundat, quàm uerba Psalmi explicet. Augustinus tamen de lege euangelica intellexit stabili positione ponenda in corde suo. Et rectè: siquidem per hanc legem in primis uiam iniquitatis à se amoueri in præcedēti octonario orauerat. Rursum quia per hanc legem uerbum incarnatum cum spiritus sancti donis obtinuimus: pro quibus Propheta nunc orat. Hæc præterea uia iustificationū est. neq; aliter sentire ea ratione licet, quia de illa lege ipsum intellexisse asserere necesse est, quæ sub proprietate literæ He comprehendatur, euangelica nimirum, in qua Christus, qui est, & uiuit, uitam nobis præbens manifestatur, Hieronymo teste, qui ait, legem Christum esse: quod obseruare, pro totius Psalmi intelligentia debemus; ut ex hoc intelligamus legis uocem, pro donis, uirtutibus & beatitudinibus in lege contentis, ipsoq; Christo ibidem reuelato Prophetam usurpasse. Sic enim ministri euangelij, non scripturæ, sed spiritus sumus. Non tamen negamus, quin sic orando, legem quoq; factorum in corde poni obsecrauerit: eò ꝙ legem bifariam inquirebat: uno scilicet modo, ut ipsum instrueret: & hoc utriq; legi conueniebat. secundo item, ut ipsum per gratiam iuuaret, quo sanè modo de sola lege euangelica Propheta sensit: sicut alibi dicit, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis, PONE MIHI DOMINE in corde, nunc sic integrā cum omnibus contentis in ea, sicut scriptura ponetur, eodem modo

edoceri petens, quemadmodum Paulus edoctus fuit, qui haudquaquam ab homine legem se didicisse ait, sed per reuelationem Christi. Pone igitur domine stabili positione, ut non modò in statu bono me confirmet, sed mecum perpetuò maneat: quoniam mens humana diu in alto stare non potest: & cum contemplando ascendit ad Deum, subitò ex propria infirmitate uagatur. Hanc enim ob causam Iob dicebat: Cum spiritus me præsente transiret (ob uelocem cursum eius) inhorruerunt pili carnis meæ. Pone mi domine gratiam illam perseuerandi usq; in finem concedendo, quam Paulo concessisti, quando audire meruit: Sufficit tibi gratia mea: ita ut gratia hac comite, qui prius dixeram, Iustificationes tuas custodiam, non discedas à me usquequaq;: dicam deniq;, Idcirco legem custodiui, quia nō discessisti à me usquequaq;. Legem itaq; pone mihi domine, VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM. *Et ego, ubi illam hunc in modum posueris: uoluntati tuæ conformis, qui dixisti, idcirco Dei mandata, iudicia & prodigia data & facta fuisse, ut homines ponant in Deo spem suam, et non obliuiscantur operum Dei, et mandata eius exquirant.* EXQVIRAM EAM, *id est diligenter quærā eam, ut exquirendo spem aduentus donorum in ea contentorū augere in corde meo iugiter possim: Sed quare legem exquiris, quam positam in corde habes? nempe, ne quomodo legem scriptam domi habere nihil prodest ei, qui illam non scrutatur, legem quam posueris in corde meo, absq; fructu maneat: quin potius, ut scrutando et contēplando, frugifera et fructuosa sit, ut in sequenti uersu subiungit:* SEMPER, *nocte ac die, tā quietis q̄ ærūnarum tempore, immo semper ad mortē usq;. Sic enim nos agere docet, dū ait, Beatus uir, qui in lege domini meditabitur die ac nocte.*

a ¶ DA MIHI INTELLECTVM, ET SCRVTABOR LEGEM TVAM, ET CVSTODIAM ILLAM IN TOTO CORDE MEO.

Rogabis lector, quare Propheta, qui fidem & legē in corde positam habet, donum intellectus petat: non'ne Lucas declarat minimè fidem dari,

quæ dono intellectus careat, dum ait dominum aperuisse discipulis sensum, ut intelligerent scripturas? non'ne infra idẽ Propheta dicit, Declaratio sermonum tuorum illuminat? Quibus uerbis ego respondebo, fidem augmentum recipere in uia, iuxta illud, Adauge nobis fidem. Quo fit, sicut Augustino placet, ut qui credunt, adhuc orent, ut intelligant. Et ratio est, quia homo uirtutis finitæ, haudquaquam infinitum Deum in lege contentum, absque supernaturali lumine intelligere potest: lumen autem, infinitæ entitatis est: & idcirco perpetuò in uia secundum mensuram condonatam crescit, donec propria mansio in cœlo animæ constituatur. Nullus quidem petendi donum intellectus in uia finis esse potest, eò quòd homo rectam æstimationem de ultimo fine habere nequit, nisi ab eo ducatur, qui circa finem non errat. Quasi dicat, scio domine quia ille homo beatus est, quem tu erudieris, & de lege tua docueris eum, quodq; lex te Deum infinitum contineat. DA igitur MIHI INTELLECTVM, in maiori gradu, quoniam illo in maiori gradu egeo. Vitam nanq; contemplatiuam nunc ingredior, in qua altiora atq; profundiora intelligere me oportet. ET, cum tu illud mihi dabis, eo intellectu quo speculamur, SCRVTABOR in primis LEGEM TVAM, id est contenta in lege tua. ET post hoc, gratia tua duce CVSTODIAM ILLAM, etiam per intellectum practicum (quod aiunt) IN TOTO CORDE MEO, quemadmodum præcepisti, ut ex toto corde & tota anima te, et proximos, sicut nosmetipsos diligamus: quasi dicat, Legem quam posuisti, custodiam in toto corde meo, si tu dederis donum intellectus, quod in hoc secundo uersu peto. At dices, quare Propheta donum sapientiæ et scientiæ, quibus ad scrutandum contenta in lege, opus habet, nominatim non expressit? Ego uerò respondebo, locum angustum octo uersuum hunc fuisse, ubi non poterant omnia singillatim exprimi: satisq; perinde esse putauit, donum intellectus ad scrutãdum ea, quæ in lege continentur, petijsse: quæ cum de ipso Deo loquantur, absq; dono sapientiæ intelligi non possunt: itidem et scientiæ, propter cætera,

quæ

quæ in ſcriptura diſcenda erant: ita ut petendo donum intellectus ad ſcrutandum, cætera quoque neceſſaria, ſapientiæ nimirum & ſcientiæ dona petiſſe uideatur, ſine quibus negotium non poterat expediri. sic enim idem Propheta ſemetipſum in octonario nono, uerſu ſecundo declarat, ubi nos quoq; iſthæc latius dicemus.

3 ¶ DEDVC ME IN SEMITA MANDATORVM TVORVM: QVIA IPSAM VOLVI.

Cum Propheta meminiſſet, ſic ſcripturam dicere, Nemo eſt, qui ſciat uias eius, neq; qui excogitet ſemitas eius: ueritus ne interea dum propter maximas anguſtias afflictionis, quæ offerebatur, mens ipſa huc uel illuc impellebatur, anima à ſemitis iuſtitiæ aberraret: donum conſilij petit, dicens: Dono conſilij tui præuio DEDVC, quod uerbum illi conuenit, qui ratione officij, cauſa honeſtandi aliquem, quempiam de loco ad locum deducere & comitari tenetur: quaſi dicat, Tu ergo, qui noſti ſemitas iuſtitiæ tuæ, & nobiſcum eſſe, cum affligimur, promiſiſti: ſicut te decet, uerax cum ſis, deduc: præciſe loquendo: quod licet in ijs, quæ omnino bona ſunt: orantis tamen debitam humilitatem præſupponit, ſicut & alibi intelligimus cum oramus, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & reliqua in oratione dominica contenta. Illud item, Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. IN, & non dixit ad, quaſi nos in medio ſemitæ poni oporteat, ut intus ſemitam ipſe per gratiam nobiſcum cooperando maneat. non autem quòd illam ſimpliciter oſtendat, & nos ſolos ibidem operari relinquat. SEMITA, quæ uox (ſecundam quoſdam) pro cogitationibus intrinſecis mentis ſtat, ad differentiam uiæ, quæ pro opere extrinſeco accipitur: ut illud, Vias tuas domine demõſtra mihi, et ſemitas tuas edoce me. Euthymio uerò placet, ut pro quadam uia trita capiatur. Nos autẽ dicamus, pro ipſa ſemita, quæ in medio uiæ permanet, accipi: quẽadmodum alibi Salomon inqt. Sapiẽtia dat uocem ſupra uiam, in medijs ſemitis ſtans. sed quæ iſta ſemita ſtans in medio uiæ erat? Lex ipſa euangelica, quæ in medio legis factorũ (quaſi

uia dirigens nos ad gratiam) cōclusa manebat. Sic enim lex euangelica, quæ angustam & arctam uiam crucis ad uitā ducentem continet, tanq; semitam ad legem factorum se habebat: quasi hæc semita propterea in medio uiæ mandatorum steterit, ut ea duce mandata impleantur, uti sequitur, MANDATORVM TVORVM: non ut mandata quænam sint intelligam, hoc enim per donum intellectus in præcedentibus obtinui: sed ut patiendo, dono consilij, quod duritiei resistit, duritiem animæ meæ curuem, itaq; in semita crucis angusta satis, magna cum obedientia, neq; huc, neq; illuc flectens, constanti animo pergam. Et quò hilarem obedientiam, ad quam homo tenetur, in ipsa cruce subeunda (quæ semita mandatorum est) commonstret, subiunxit: QVIA IPSAM crucis semitam VOLVI, quasi dicat (secundum Augustinum) quæcunq; obtulisti, etiam crucem, lumine tuo, ac consilio adiutus, ego uolui: sed parum est me uelle, nisi tu perficias, atq; stabili positione dona tua ponas, quibus animam in statu gratiæ conserues, sic enim et alibi turbato hoc ordine loquendi inquit: Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei.

4 INCLINA COR MEVM IN TESTIMONIA TVA, ET NON IN AVARITIAM.

Quanquam multis placet, non immeritò iurisconsultos statuisse, ut lex, quæ uarios sensus habet, minimè possit in quæstionibus citari, eò quòd ueritas est una, & hinc nostros doctores eam ob causam mordeāt, quia Augustinus uerbum hoc inclina, uertit, id est perfice uoluntatem: Cassiodorus uerò, Glossa & Hieronymus, humilia: mea tamen sententia minimè iurisconsultos circa hoc sequi debemus, ut regula illa ad uerba spiritus sancti trahatur, quæ uaria mysteria sub uno uerbo plerūq; continent: quandoquidem stant simul, ut inclinando animam uoluntas perficiatur: tunc scilicet cum duritia, non ui, sed per donum consilij, de quo in hoc quoq; uersu agit, iugo subijcitur, ad quem modum propheta dicit, INCLINA COR MEVM IN TESTIMONIA TVA. quæ

iubent, ut propriam uoluntatem abnegantes, Deo per omnia usque ad crucem obediamus. Inclina propterea, ut testimonia scripturæ, secundum sensum ecclesiæ, non autem propria ceruice in superbiam eleuatus interpreter: ne in illorum errorem incidam, qui putantes meliorem sensum q̄ patres habuerint, sese habere, mox idololatræ uel hæresiarchæ efficiuntur. ET NON IN AVARITIAM. non q̄ de auaritia pecuniaria senserit, sed ad illum modum quo uox, cupiditas capitur, sicut scriptum est, Radix omnium malorum cupiditas est: ita ut auaritia hic pro omni inordinato appetitu capiatur, sic enim primi parentes auari quoq; fuerunt, cum Deo similes esse stultè procurarunt: plus appetentes, q̄ secundum præscriptum ordinem decebat. Vtinam noui isti nouatores hoc pensarent, non autem donum consilij contemnentes, perfidiæ perpetuò hærerent.

5 AVERTE OCVLOS MEOS, NE VIDEANT VANITATEM: IN VIA TVA VIVIFICA ME.

Quoniam creatura subiecta est uanitati non uolens, proinde Propheta (ut quibusdam placet) ne per sensum oculorum uanitas hæc in animam intromittatur, hac oratione petit, qui quidem sensus minimè respuendus est, ut hæc et cæteræ uanitates, quæ possent Prophetā in statu iustitiæ manentem coinquinare, omnino ab ipsius oculis auertantur. nam carnis concupiscentia in persona iustorum quoq; manet, ob quā dominum precantur, ne illos inducat in tentationē. Dixerat enim paulò ante, Da mihi intellectum, quo cuncta cernere posset: verum, quia non omnis, qui uidet & cognoscit mala, oculos ab illis auertit, idcirco coadiuuantem gratiam poscens, hunc in modum orat. Verior tamen sensus erit, ut dicamus uocem istam, uanitatem, idololatriam significare, quæ meretrix quædam est ueritati contraria, omnem uanitatem tanquam ueritatem, animæ oculis commonstrans, quemadmodum alibi scriptura dicit, Abiecerunt legitima eius, secuti sunt uanitatem, uaneq; egerunt, conflatiles uitulos duos & lucos faciendo. Dubitabat sanè

Propheta de futuris flagellis, quæ paulò post aduenerunt, metuens ne (libertatis causa) potius creaturis quàm creatori seruire eligeret: uel superstitiose aliquid pro salute operari tentaret, quæ idololatriam uel hæresim redolebant. Quocirca ne ab ijs eius anima illaquearetur, in hoc uersu contra morbum hunc donum pietatis petit: quòd in uero cultu Dei, & oratione consistit. Sic enim alibi Propheta se declarat, inquiens: Beatus uir, qui non respexit in uanitates. Vbi Cassiodorus hoc modo uerba illa declarat. Quibus sic existentibus dicamus AVERTE OCVLOS MEOS, non solum corporeos, uerum etiam intellectus, per aduentum doni pietatis, NE VIDEANT VANITATEM, sed potius in uero cultu te adorantes, nomen tuum sanctificent. Nam ab ignorantia plerunque idololatria & hæresis fiunt: præsertim quando (secundum eorum consuetudinem) hæretici carnalia, quæq; iniusta, tanquam iusta promittunt, efficiuntq; ut audientes malè de lege tua sentiant: quemadmodum res ipsa hodie docet, infinitum numerum idiotarum, has ob causas ad Lutheranas hæreses conuolasse, quasi dicat, Non sic domine, non sic, sed IN VIA TVA, id est in lege tua euangelica, quæ crucem hanc me sustinere præcipit, & donis ijs plena est, ac uera uia uitæ, VIVIFICA ME, id est da robur, quo sic crucem oblatam sustinere ualeam, ut uita gratiæ in uia uiuens, uanitates has contemnam, ijsq; medijs æternam gloriam consequar, hoc enim modo oculos meos auertes, ne aut uanitatem uideant: aut si illam uiderint, minimè eam amplectantur, sed potius auersis ab ea oculis, cruci mihi offerendæ hæreant.

6 STATVE SERVO TVO ELOQVIVM TVVM IN TIMORE TVO. sæpe in scriptura legimus uocem hanc, eloquium tuum: quæ modò stat pro Christo, sicut & uox, uerbum, modò uero pro uerbis domini, quæ per angelos & Prophetas hominibus locutus est, sæpe pro uerbis à Christo prolatis, cum suo ore euangelicam legem promulgauit, ac sæpiusculè pro scri-

ptura, quæ ſemper loquitur. Hic autem, cum Propheta ſuprà dixiſſet, Legem pone, in genere: deinde uerò aliquas ſpecies donorum enumerare cœpiſſet, uolens hoc in loco donum timoris initialis ſeu filialis petere, ſic ait, non ſolum pone, ſed STATVE, firma poſitione, ELOQVIVM TVVM, nimirum legem euangelicam, ore uerbi incarnati prædicatam, ut lex poſita rurſum ſtatuatur, ac ſolida fiat IN TIMORE TVO initiali ſeu filiali, quæ dona tua ſunt, ad uitam nos perducentia, ne forte in timore meo carneo uel ſeruili, nihil præſtantibus, ego pergam.

7 AMPVTA OPPROBRIVM MEVM QVOD SVSPICATVS SVM, QVIA IVDICIA TVA IVCVNDA.

Duæ adſunt difficultates in iſto uerſu. Altera, quodnam fuerit opprobrium, quod ſuſpicatus fuit. altera, quæ fuerint iudicia hæc iucunda? Quæ in hunc modum explicari debent, ut dicamus, AMPVTA, quaſi circumputa, prout boni agricolæ uites circumputare ſolent, malos palmites ſcindendo, ut reliquæ bonæ aptius conſeruentur. OPPROBRIVM MEVM QVOD SVSPICATVS SVM, id eſt, fac ut minimè aliena peccata ſuſpicer (ut Auguſtino & alijs placet) ne forte in me ſuſpicio hæc conuertatur, quaſi Chriſtiani non ſit, alienam conſcientiam iudicare. Sed minimè in hoc Auguſtinum ſequor: quoniam & ſi Prophetæ permittatur temporibus abuti, non tamen cum literæ uiolentia (ſi fieri aliter poteſt) detorquenda litera eſt. Et cum Propheta de præterito ſuſpicatus fuerit, quemadmodum litera ſemetipſam declarat, inquiens, ſuſpicatus ſum: minimè Auguſtino dicere fas eſt, ſuſpicabor. Rurſum, quia licet nobis ſuſpicari contra aliquem, modò temere non iudicemus; & deniq;, quia opprobrium proprium, non autem alienum erat, ſicut Ambroſio placuit, magis de conſcientia propria pſalten dubitaſſe, iuxta illud Pauli, nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum. Quid igitur dicemus? ſuſpicionem præ-

teritorum esse, opprobrium uerò bifariam contingere posse. Altero nimirum modo, ut in eo incurrerit, prout alibi dixerat, Ab ocultis meis munda me: præsertim propter peccata, quæ ex ignorantia committimus, sicut dominus dixit, Ne statuas illis in hoc peccatum, quia non intelligunt quid agunt. Paulus item, Misericordiam promerui, quia ignorans peccaui. Altero uerò, ut opprobrium sit futurum: possibile cum sit, à statu in quo est, ob naturæ debilitatem decidere, præsertim cum de donis spiritus sancti Propheta hic agat, quæ plerũq; obtinuerat: quasi ab experientia præteritorum futura suspicetur, cum uidisset se sæpius à gratia cecidisse. Quapropter cum futura uitare optaret, uerba hæc subiunxit, inquiens: Amputa opprobrium meum futurum, quod suspicatus sum, ne iterum cadam; & hoc per donum fortitudinis: & nemo erit, qui me uincere in futurum possit. Sic enim & alibi dixit: Perfice gressus meos, ne moueantur uestigia mea. Petebat nanq; Propheta donum perseuerantiæ usq; in finem, quod his donis præstatur, QVIA IVDICIA TVA IVCVNDA. Quæ uerba iuniores quidam in iudicio misericordiæ, per quod ex impijs efficimur iusti, exemplũ ponunt; sed in hoc iudicium unum est, ista autem plura. Alij uerò quædam iudicia terribilia esse censent, quibus Deus iram comminatur, quædam uerò iucunda misericordiæ, illas nimirum promissiones, in quibus misericordiam nobis pollicetur. Plerique iudicia Dei idcirco iucunda esse autumant, quia in ueritate & æquitate omnia intrinseca cernens iudicat. Nos autem dicamus, iudicia solius hominis, quæ mala ut plurimũ sunt, aut nullum meritum habent, suspecta perpetuo iudicari: iudicia uerò iucunda illa esse, quæ homo à Deo inspiratus eo cooperante facit, dum inter spiritum & carnem iudicat, petens his uerbis, ut donum fortitudinis secum adsit, quo in pœnis non paueat, iustitiæq; uirtutem roboret, ne ab ijs quæ iudicia ordinant, anima aberrat. Itaque ea iudicia iucunda sint, quæ cum uerace & iusto Deo paulò post Propheta facturus est. Hactenus de prima parte: sequitur secunda.

8 ECCE CONCVPIVI MANDATA TVA:
IN AEQVITATE TVA VIVIFICA ME.

Non secus, ac si dicat (sicut Prosper sentit) fecisti me cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem. illud planè, quod Augustinus dixerat: iube quod uis, & fac quod iubes. Tu uero dic, Ecce mi domine quomodo omnia, quæ in me erant, consummaui: nimirum, quia MANDATA TVA, etiam propriæ crucis mihi oblatæ CONCVPIVI. hoc est, quãtum in me erat, omni cum obedientia, gratia tua duce, ex toto corde implere optaui. quod potui, feci. tu igitur quod tuum est age, & in ÆQVITATE TVA, id est in misericordia tua, qua omni tempore egeo, ijs donis, quæ petij, mediantibus, VIVIFICA ME: non quòd quasi peccato mortuus uiuificari petam: quandoquidem cor mihi dilatatum fuit: sed ut qui uiuus sum, uiuificer adhuc: ut à te roboratus crucem paulò post aduenturam sustinere possim. Age mi domine, ut omnia membra animæ & corporis uiua usq; in finem iustitiæ tuæ seruiendo maneant: uiuifica uita gratiæ per dona ista, in uia animam conseruando: ut beatitudine uiæ fruar, & uita gloriæ quoq; in seculum seculi. Quibus perspicuè cernis ea dona in hoc octonario Prophetam petijsse, quæ à Domino per Christũ danda erant, qui est, & uiuit, iuxta literæ He proprietatem: docens nos per eum, qui est & uiuit, Christum nimirum, omnia à Patre esse petenda.



VAV ו



VARIOS huic literæ Vau seu Vaf, sensus hi, qui Psalmum hunc interpretantur, accommodant. Ambrosio enim placuit, ut significet non est, ut ille; rursum copulam notare: quemadmodum in Threnis Hieronymus uertit, ut significet, &. Hugo uerò, est, uel &, uel ipse; quasi ijs tribus significationibus, Trinitatis personas Propheta ostendat. Vnde tamen ista hauserit, non uidemus. sed quod secundum Ambrosium, negatiue, non est, uerti debeat, ratio in promptu est, quia siue Propheta de sua persecutione loquatur, iam non erat: siue de aduentu Messiæ, neq; adhuc incarnatus erat. Alijs uerò placuit, idcirco nos absq; negatione legere debere, est: quia, antequam petamus, dominus exaudit. quod quidem diuinare magis quàm literæ significationem declarare esset. Quid ergo dicemus? hoc dicam, ut principio expendamus, Dauidem in præcedenti octonario eam ob causam dona Spiritus sancti petijsse, ut à Christo, cui data fuerunt, uirtute à principio mundi occiso, in Dauidem fluerent: & hoc quidem, ut Saule, ipsum deinde affligente, armatus uti ille, id est Christus erat, strenuè certaret: nunc uerò subiungere, quòd ubi dona, & persecutio simul aduenìant, minimè futuram Saulus persequutionem timebit: immo potius se sperare illam fore, ut ille, hoc est, ut crux sua in Christi cruce corroborata, sit ut crux Christi, quam patiendo participaret. Diuiditur autem octonarius iste in partes duas: quarum secunda est in uersu illo, Et ambulabam, in qua prima parte ante ærumnam sibi oblatam, copulam ipsam, &, prosequitur, atq; secum quodammodo ludit, ostendens quòd si futura crux gratiam Dei cum donis paulò ante narratis comitem habebit, facilè inimicis resistere poterit, magnaq; cum facilitate Dei legem seruabit,

pro

pro quo obnixè orat. In secunda uerò parte cruciatum afflictionis saulis tacens (eò quòd ijs paucis uersibus concludi non poterat) ea, quæ in ipsa afflictione gratia Dei ipsi præstitit, (super eadem copula ludens) summatim narrat.

Vau 1 ¶ ET VENIAT SVPER ME MISERICORDIA TVA DOMINE, SALVTARE TVVM SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

Vau 2 ET RESPONDEBO EXPROBRANTIBVS MIHI VERBVM: QVIA SPERAVI IN SERMONIBVS TVIS.

Vau 3 ET NE AVFERAS DE ORE MEO VERBVM VERITATIS VSQVEQVAQVE: QVIA IN IVDICIIS TVIS SVPERSPERAVI.

Vau 4 ET CVSTODIAM LEGEM TVAM SEMPER, IN SECVLVM, ET IN SECVLVM SECVLI.

Vau 5 ¶ ET AMBVLABAM IN LATITVDINE: QVIA MANDATA TVA EXQVISIVI.

Vau 6 ET LOQVEBAR DE TESTIMONIIS TVIS IN CONSPECTV REGVM, ET NON CONFVNDEBAR.

Vau 7 ET MEDITABAR IN MANDATIS TVIS, QVAE DILEXI.

Vau 8 ET LEVAVI MANVS MEAS AD MANDATA TVA, QVAE DILEXI: ET EXERCEBOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS.

1 ¶ ET VENIAT SVPER ME MISERI-

ÇORDIA TVA DOMINE, SALVTARE TVVM SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

scire debes lector prius q; ad literam aggrediamur, quandocunq; uerba Prophetæ audis, quibus misericordiã impetrare optat, de illa misericordia intellexisse, quæ à Domino, gratia per Iesum Christũ facta, præstatur: ita quidem; ut nil perpetuò petat, quod non per Christum sibi concedi obsecret: sic enim infrascriptæ uoces intelliguntur, Suscipe me secundum eloquium tuum, & uiuam. Viuifica me secundum uerbum tuum. Secundum eloquium tuum da mihi intellectum, & uiuam. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Defecit in salutare tuum anima mea: nempe ut misericordiam & consolationem à Domino promissas & iuratas sibi dari per Christum, futurum bellatorem & consolatorem nostrum, re ipsa præstet, Augustino & Ambrosio testibus, qui uerba hæc hunc in modum interpretantur: nempe aduentum Messiæ optasse, qui peccatores suscipiat, delicta donet, liberet, & uiuificet; quos & nos tanto magis sequi debemus, quanto psaltes misericordiam sæpe impetrando, continuò salutare tuum, ueritatem tuam, aut Dei eloquium addit: utpote cum dixit: Ostende nobis domine misericordiam tuam, statim subnectit, & salutare tuum da nobis. Et alibi postq; dixit, Deus misereatur nostri, continuò sequitur: in omnibus gentibus salutare tuum: bellè ostendens, minimè alia uia quàm per Christum posse nos quicquã impetrare, non solum pro æterna, uerum etiam pro temporali quoque salute, ut adiutor sit in opportunitatibus & in tribulatione. Quibus hunc in modum explicatis, literam aggrediamur, quæ sic habet: ET VENIAT. *Hic diuinus iste uates incipit cum copula, &, ludere: quasi dicat: iam posita lex est in corde meo cum donis spiritus tui, quæ petij: superest, ut ijs oblata crux coniungatur. Et ueniat igitur, ut simul in me stent* MISERICORDIA, *id est tribulatio, quæ misericordia tua est, ut tentati cum misericordia disciplinam accipiamus: intelligentes in quem modum, cum ira, impij tormenta patiantur. At dices, quare*

uocem hanc misericordiam, tribulationem interpretaris? Quia nunc ille cruciatus Prophetæ offertur, in quo opere in quinto uersu ambulabit. TVA DOMINE. quoniam tu extrinsecus nos tentari à satana & filijs eius, aut iubes, aut permittis, ut peccatorum nostrorum iustè misereri deinde possis: misericorditer præbens, unde tibi placeamus. Alij uerò propter illa, quæ iandudum narraui, dicunt: ET VENIAT MISERICORDIA TVA, hoc est salutare tuum (prout continuò se declarat) id est Christus, iuxta illud: Misit Deus misericordiam suam. qui sensus minimè spernendus esset, ubi sic intelligant, ut simul uox ista misericordia, gratiam Dei per Iesum Christum factam, & ipsam persecutionem secundum proprietatem literæ Vau copulet, cuius officium est, non modò uerba, sed ipsas significationes diuersas sub eadem uoce coniungere. Germanus tamen sensus primus est. ut uox misericordia, in hoc uersu pro tribulatione, de qua agit, stet: quandoquidem pro Christo subiungit SALVTARE TVVM Iesum Christum, qui nos tribulatos saluos facit. Sic enim Hebræa scriptura pro Iesu hanc uocem salutare ponit, quando dicit, Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Non tamen desunt, qui dicant Prophetam de solo aduentu Messiæ hic egisse: uerior tamen præcedens intellectus est, tum propter literæ proprietatem, cui hoc modo non satisfaceremus: tum propter sequentes uersus, qui perspicuè de ipsa tribulatione cum aduentu gratiæ per Christum factæ loquuntur. SECVNDVM ELOQVIVM TVVM. per quod, et temporalē et æternam salutem præstare affligendis hominibus spopondisti, inquiens: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, In uirtute salutaris tui Iesu, quem mittere, atq; in eius semine benedicere eloquio tuo, Abrahæ & alijs promisisti. quasi dicat, ubi in hunc modum futura tribulatio adueniat, illam non timebo, certus finem ad salutem esse, ut ille: id est, ut eo modo ad salutem mihi sit, sicut passio Christi, quam participabo, ad salutem nostram fuit. Quibus patet rectius Augustinum dixisse, Veniat persequutio, quæ non est

ut ille : qui ad huc nec incarnatus, nec passus est, tametsi uirtute ab initio mundi occisus fuerit: quoniam sufficit mihi uirtute mecum adesse. Hanc enim ob causam minimè dixit, ueniat, sed copulam præmisit inquiens, Et ueniat: quasi misericordiam tribulationis, cum misericordia per Christum, salutare nostrum facta, coniungi debere unà petierit. Obserua lector quæso, quanta prudentia Psaltes utatur. Siquidem non simpliciter dixit, Veniat tribulatio, quæ considerata fragilitate humana omnino fugienda est, quemadmodum Christus docuit, quando tanquam homo orans dixit: Transeat, si possibile est, calix iste. & alibi Paulus: Opto apud Deum & in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hæc, fieri tales qualis ego sum, exceptis uinculis his. quasi tunc acceptanda sit cum offertur, & illi copulatiuè gratia Dei additur, qua certi reddimur finem ad salutem tendere, iuxta illud Pauli, ut faciat ex tentatione prouentum; illius instar, qui amarum pharmacum bibit; uel membrum sibi abscindi propter totius corporis salutem patitur. Sic enim intelligenda sunt & uerba illa, Paratus sum, & non sum turbatus, hoc est si offeratur. Nam Iacobus minimè dixit, Orate gaudentes, ut uobis tribulationes adueniant, sed sic ait: Omne gaudium fratres existimate, cum in tentationes uarias incideritis (audi, incideritis) scientes quòd probatio fidei uestræ, patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. docens nos his uerbis, bonam ipsam tribulationem esse secundum ordinem ad finem, non autem simpliciter propter se. cuius finis causa, iterum Iesus dixit: Desiderio desideraui comedere pascha uobiscum. Hinc sanè Propheta in unoquoque uersu à còpula &, incipit, ut salutis finem ipsi tribulationi coniungat: ad quem gratia Dei, sicut paulò ante diximus, per Christum peruenire sperat, non autem quòd de proprijs uiribus confidat, absit: Copulatiuè nanque tentari & uincere simul optat: quasi tribulatio haudquaquam propter se diligenda sit, sed propter spiritualia, quæ ex ea

proueniunt. Non quidem aliter sancti uiri tribulationes sustinent, quàm propter terrorem malorum, ac meriti augmentum. Animaduertunt planè hac uia tribulationum infinita beneficia cognosci, quæ Deus hoc tempore homini confert. Per has item tribulationes, spem in corde salutis æternæ stabiliri: & cum adueniunt, summa cum patientia illas suscipiunt.

2 E T, *ubi utraque misericordia mecum aderit,* RESPONDEBO *corde, dum extrinsecus tentatus, intrinsecus quoque affligar. Respondebo & ore, filijs Satanæ* EXPROBRANTIBUS MIHI VERBUM *patris incarnatum, ne propter Christum mala tanta perpeti uellem, quòd non solum ab hac temporali ærumna, uerum etiam in æternum per Iesum Christum saluus ero, & hoc propter uerbum tuum nobis promissum, cui ego credo, quòd nobiscum in tribulatione eris, eripies & glorificabis. Ipsi enim perpetuò persuadere mihi soliciti erunt, uerbi incarnationem, Christi passionem, & resurrectionem, chimæram quandam esse, teq; ueracem non esse in his, quæ promisisti: nunc pusillanimitatem (ob propria demerita) cordi meo reponentes: nunc uerò quòd particularium rerum, & persequutionum nostrarum, tu qui immensus es, curam non habeas (quemadmodum Boetium & alios deceperunt) quibus nihil aliud respondebo, nisi* QVIA *perpetuò* SPERAVI *fide, quæ spem substare facit,* IN SERMONIBVS TVIS. *in illis enim lego, tribulationes iustorum multas esse: sed in omnibus his liberari nos à dæmonio, atque me omnia posse in eo, qui confortat me. Sic enim charitate Dei comite omnia credo, omnia spero, uti promisisti fore: quoniam lex tua uera, iudicia quoque tua ueritas. Et tu, qui me sperare dedisti, salutem quoque præstabis: quemadmodum & Thobias cum lachrymis orans dixit: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua uera sunt, & omnes uiæ tuæ misericordiæ, & ueritas & iudicium. Sic enim roboratum cor meum, quod sæpe improperium expectauit, stabili fim-*

damento Christo hærens, scandalum ipsis, mihi uerò Dei uirtus, & sapientia patris, haudquaquam trepidabit; immo si omnes mundi tribulationes aduersus me unum coniungantur, cor meum non timebit, hoc solo adiutum tutamine, quia speraui in sermonibus tuis. Vbi spei nostræ (in Deum) magnitudinem expendere poterimus, de qua alibi fusius diximus. Sat est prouentum hoc quod à lege euangelica Propheta haurit, hoc in loco obseruare; ut diffisus de proprijs uiribus & meritis, gratia Dei per Iesum Christum, omnibus tentationibus in ipsa persequutione aduenturis, minimè resistere ambigat. Sic enim Propheta alibi securum se reddit, dicens: Domine non confundar, quia exquisiui te. In te speraui. est enim à Deo spes mea, quam non daret, si nos tutari nollet.

3 ¶ ET NE AVFERAS DE ORE MEO VERBVM VERITATIS VSQVEQVAQVE, QVIA IN IVDICIIS TVIS SVPERSPERAVI. *quasi dicat: Et propterea, quia hoc modo & non aliter me præmissa consummaturum spero, obsecro mi domine, ut tu, qui legem fidei, donis spiritus tui plenam in corde meo posuisti:* NE AVFERAS DE ORE MEO VERBVM VERITATIS. *hoc est fidem, uerè uerbum ueritatis, quod loquuta est ipsa ueritas, cum legem euangelicam in corde meo positam promulgauit, & per illud ad fidem audiendo, animam meam traxit. Et dicit, ne auferas de ore meo, postq; stabilis in corde manet, quasi dicat: Age mi domine, ut fides in corde meo residens, à charitate tua concomitata, in respondendo operosa sit: & eo modo, quo corde ad iustitiam credidi, ac credo, ore quoq; ea quæ paulò ante enarraui confitendo, opus iustitiæ consummem: ne forte non confitendo, quantulibet præmissa omnia credam, in hac tribulatione propter angustias confundar, siquidem facile est homini, quãuis scelerato uitam mutare, sed ualde difficile in nouitate uitæ ambulare: quod Propheta optabat, ut beatus in uia esse quiret, non pauco tempore, sed*

semper, quod sanè fieri non potuisset, nisi uerbum ueritatis ab ore eius non auferretur VSQVEQVAQVE, id est nunquam: quandoquidem parum esset semel & non semper oblatam crucem sustinere, Christo dicente, semper oblatam crucem tollere nos oportere, illumq; saluum fore, qui usq; ad finem perseuerauerit. Quapropter Hieronymus uocem hanc, usquequaque, uertit, in totum. sic enim mihi fieri spero, QVIA IN IVDICIIS TVIS. iudicia uocans promissiones ipsas, quasi dicat: Tu domine dixisti; Nolite cogitare quid loquamini. non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Ob quæ uerba SVPERSPERAVI. per hanc notulam, spei magnitudinem commonstrans. Siquidem tunc Propheta hoc uerbo utitur, cum nouam spem præcedenti spei addere intendit. sperauerat nanq; posse exprobrantibus uerbum respondere: nunc uerò & aliud supersperat, nimirum ut gratia Dei in ipsa nominis Christi confessione possit etiam usq; ad mortem perseuerare: id in summa petens, nempe ut gratia perseuerandi usque in finem, adueniat, hoc sanè pro scopo habet, hoc perpetuò petit.

4 ¶ ET, si gratia tua non auferetur à me usquequaq;, CVSTODIAM LEGEM TVAM, tum mandatorum, tum etiam euangelicam, præcipientem nobis ut ore in loco peregrinationis (minimè crucis mortem timentes) nomen Iesu Christi palam confiteamur. SEMPER, id est toto tempore uitæ meæ, non ut eo modo illam custodiam, quo Israelitæ legem factorum metu pœnæ seruant, sed ut custodia sit IN SECVLVM, donec uiuam, ET IN SECVLVM SECVLI. per quæ uerba uitam æternam scriptura commonstrare solet.

5 ¶ ET AMBVLABAM IN LATITVDINE, QVONIAM MANDATA TVA EXQVISIVI.

Hæc secunda pars istius octonarij est, in qua actu uitam contemplatiuam ingreditur, inquiens: ET AMBVLABAM, hac copula, &, gratias, quas petierat obtentas iam, cum ipsa persequutione Saulis, quam

ſuſtinet, coniungens. At dices, vbi perſequutionis hiſtoria? nullum quidem uerbum afflictionis hic legimus. Fateor: ſed ordinem Prophetæ expendas obſecro: qui, cum non poſſet his paucis uerſibus integram Saulis perſecutionem, & fructus, quos in illa collegit, minutatim recenſere, ipſam hiſtoriam, quam in alijs pſalmis fuſius ſcripſerat, tacet: itidem & mirabilia Dei, hoc tempore ſibi reuelata: quæ, cum non poſſint propter anguſtiam loci hic cumulari, in ultimis octonarijs, ſub literis, quæ aptius rei huic congruunt, narranda reliquit: quo in loco perſpicue omnia cernes. Hic autem effectus duntaxat donorum, quibus potitus eſt, ſummatim prædicat, inquiens, ET AMBVLABAM, *his donis armatus,* IN LATITVDINE, *tum perſequutionis, quam latam uoco, iuxta illud, Latum mandatum tuum nimis, quo crucem ſubire iubes: tum etiam in latitudine charitatis tuæ, qua cum, uiam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Sic enim alibi hoc ipſe declarauit, quando dixit: De tribulatione inuocaui dominum, et exaudiuit me in latitudine: & alio in loco, in tribulatione dilataſti mihi. Stant nanq; hæ duæ latitudines contrariæ tanquam ſyſtole & diaſtole animam conſeruantes, dum timor naturæ pauentis cor conſtringit, gaudium uero ſpiritus ſancti cor dilatat. Non tamen perpetuo latitudo hæc hunc in modum capitur, ſed plerunq; pro abundãtia bonorum & quiete uita à ſcriptura uſurpatur, quam bonus Deus hunc in modũ elargitur. Ipſe nanq; principio bona nobis confert, propter quæ inuidos inimicos nobis cõparamus; qui inuidia moti, ſicut miſerorum eſt, ut maleuolentes inuideant, occulteq; principio calũniari incipiant, calũnijsq; adinuentis, inimicos ſeſe palam atq; afflictores ſimul oſtendãt. quibus bonus Deus reſiſtit, dilatans ſemen bonum, & cor noſtrũ, ut in pace ſuper terra in quadã quietis latitudine uiuamus. Sic enim, cum Iſaac dominus remuneraſſet, per inuidum Abimelech expulſus fuit: eoq; abeunte, paſtores Geraræ calũnias adinuenerunt, pauloq; poſt publici inimici facti ſunt: et poſt iſta cõtentiones ceſſarunt, ita ut diceret: Sit nomen putei iſtius latitudo*

tudo, quia nunc Dominus dilatauit nos, & fecit crescere super terram. Quæ omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ut in medio afflictionum sequentia uerba concinamus, Deus noster refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. scientes, eundem, qui nos spoliari terrenis bonis iussit, cœlestia præparasse, quibus absque tribulationibus istis frui nequaquam ualeremus. Deinde uerò causam exprimit, ob quam dignus factus fuerit in hac duplici latitudine ambulare, QVIA MANDATA TVA EXQVISIVI. Id quidem, quod tu ab homine requiris, ut à te uocatus, mandata tua (inter quæ mandatum crucis est) diligenter cum Christo quærat, qui dixit, Ecce uenio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. quasi dicat, Hoc quidem feci; & propterea me ambulare in latitudine præstitisti.

6 ¶ ET LOQVEBAR DE TESTIMONIIS TVIS IN CONSPECTV REGVM. quando non solum in spelunca in conspectu Saulis satellites meos increpui, propter testimonia tua, quæ uetant inimicos posse occidi, uerum etiam summa cum charitate paulò post ipsum Saulem alloquutus sum. In conspectu item regum inferni me tentantium, quibus cum interea dum ipsi uerbum tuum tentando exprobrabant, de testimonijs tuis mecum ipse (illis respondens) loquebar, ET NON CONFVNDEBAR. quasi dicat, non confundebar illis me perdere nitentibus.

7 ¶ ET MEDITABAR IN MANDATIS TVIS QVAE DILEXI. per aduentum sapientiæ supernæ, quæ secum charitatem ducit, qua tu sic diligis nos, ut te & mandata tua redamare queamus. sic enim mandata tua dilexi, ut oblatam crucem propter mandata tua complexus sim, perinde ac si diceret, Non solum loquebar, & crucem amplecti promptus eram, uerum etiam mecum ipse meditabar in mandatis tuis, cum actu gratias tuas mihi collatas cōme

mirabam, admiratus quidnam ipse homo sit, quæ item bonitas tua, ut in tantis & semper memor sis eius. Meditabar præterea in ipsa tribulatione, uitæ contemplatiuæ initium expendendi mirabilia tua nos habere: quandoquidem tunc legem maximè scrutamur, cum ob necessitatem, ut adiuuemur, cum medico nostro Christo, atq; doctore, in lege nobis loquente ratiocinamur, doctrinam suscipientes & medicamina, quibus inflictis uulneribus sua gratia medemur.


8 ET LEVAVI MANVS MEAS AD MANDATA TVA, QVAE DILEXI: ET EXERCEBOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS. Et non modò meditabar in mandatis tuis, quæ antea dilexi, sed ET LEVAVI MANVS MEAS AD MANDATA TVA QVÆ DILEXI, iuxta illud, in noctibus (id est in tribulationibus) extollite manus uestras in sancta, & benedicite dominum. Sic enim ego in ipsa tribulatione orabam, & postea quoq; subiunxi: O domine, bonum mihi, quia humiliasti me, ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquequaque. Talia nanque ego tunc adiutoria sensi, ꝙ si noua offeratur tribulatio, rursum in ea exerceri minimè negem, ut sequitur, ET, non solum tunc leuaui manus meas, sed & adhuc EXERCEBOR, hoc est paratus sum exerceri à te, qui his medijs animam meam exerces, IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS. iustificationes uocans ipsas tribulationes, quas Christi amore homo sustinet: eò ꝙ interea dum patitur, gratia Dei comite mandata eius animam iustificantia, ad crucem usq; seruat. Sic enim alibi dicebat: Tenta me; & si adhuc uia iniquitatis in me adest, deduc me in uia æterna, quemadmodum successit per aliam persequutionem Absalonis iterum affligi, quam paulò post idem Propheta narrat. Quibus ad hunc modum explicatis, expende nunc lector, quisnam poeta super litera Vau, & copula ipsa dulcius ac copiosius ludere potuisset, dum persequutionem, quæ non aderat, cum gratia, quæ etsi uirtute aderat, non tamen adhuc aduenerat, luctum cum gaudio, ac latitudinem tribulatio-

nis cum latitudine charitatis copulauit: nos item & Christum ita quidem ut alia uox, quæ sequitur, salutare: salutem, & Iesum saluantem comprehendat; statumq; præsentem, in quo re persequutionem patimur, cum futuro, dum ad patiendum prompti sumus, coniungens spem deinde & rem, ut ita factum sit: sicut ipse sperauit. Humanam præterea sapientiam, qua mandata exquisiuit, & donum sapientiæ supernæ, qua media mandata dilexit, coniungendo. corde insuper ad iustitiam, ore uerò ad salutem credendo. corde item sibi ipsi, ore uerò alijs respondendo; tentationem insuper & uictoriam à manu Dei copulatiuæ accipiendo: num maiora uel alia potuit pro literæ Vau interpretatione simul iungere? Hactenus prima pars tertiæ partis psalmi.

SEPTIMVS OCTONARIVS.

¶ *Zain* ז

Latine, huc, duc te.



I literam hanc ita interpretari debemus, huc, & duce te, rectè Ambrosius inquit Dominum esse, qui post Saulis persequutionem Dauidi dicit, huc duc te. sic enim alibi ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, & ego reficiam uos, quietem post passas ærumnas, his uerbis pollicens, eò quod Zain septima litera est in ordine alphabetico: & septima quoq; die dominus ab opere requieuit. Magis tamen literæ congruet, si dixerimus, Dauidem hic loqui, qui cum uerborum domini meminisset, quando dixit: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: uidens se à domino ereptum, æternam gloriam assequi infallibiliter (quod aiunt) supersperauit. Hic planè optimus afflictionis fructus est, ut per illum æternam salutem sancti uiri sperent, per quem

temporalem eos assequutos esse cernunt. & quò hanc spem tum à uerbis legis, cui omnia Propheta ipse tribuit, tum à charitate à domino infusa, non autem à natura, prouenisse commonstraret, proindeq; eum fallere non posse; sequentes causas, ne temeritatis culpa notetur, domino & sibi proposuit.

zain 1 ¶ MEMOR ESTO VERBI TVI SERVO TVO, IN QVO MIHI SPEM DEDISTI.

zain 2 HAEC ME CONSOLATA EST IN HVMILITATE MEA, QVIA ELOQVIVM TVVM VIVIFICAVIT ME.

zain 3 SVPERBI INIQVE AGEBANT VSQVEQVAQVE; A LEGE AVTEM TVA NON DECLINAVI.

zain 4 MEMOR FVI IVDITIORVM TVORVM A SECVLO DOMINE; ET CONSOLATVS SVM.

zain 5 DEFECTIO TENVIT ME PRO PECCATORIBVS DERELINQVENTIBVS LEGEM TVAM.

zain 6 CANTABILES MIHI ERANT IVSTIFICATIONES TVAE IN LOCO PEREGRINATIONIS MEAE.

zain 7 MEMOR FVI NOCTE NOMINIS TVI DOMINE, ET CVSTODIVI LEGEM TVAM.

zain. 8 HAEC FACTA EST MIHI, QVIA IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

1 ¶ MEMOR ESTO VERBI TVI, IN QVO

MIHI SPEM DEDISTI. *quando dixisti, Deus superbis resistit, humilibus uerò dat gratiam (secundum quosdam) Tu autem dic, ut quo modo sancti uiri, postq; legitimè certarunt, spem futuræ salutis incorde reponunt, eodem post superatum Saulem, spem futuræ salutis in anima Dauidis esse ortam: quam infallibilem (ut aiunt) fore, multis rationibus, quas narrat, existimauit, inquiens:* MEMOR ESTO VERBI TVI, *non q à Dei memoria uerbum semel emissum exciderit: sed potius sic loquitur, ut à uerbo Dei hanc infallibilem spem esse ortam ostendat.* IN QVO MIHI SPEM DEDISTI, *quando dixisti, Eripiam eum, & glorificabo eum. Duo enim continebant uerba illa: alterum, q me eriperes, & hoc factum est: alterum uerò, q glorificares, & hoc infallibiliter spero. quasi cum Iacobo dicat: Tu domine dixisti benefacturum te mihi, infallibilis ergo spes mea est. Paulo nanq; placuit, hanc ob causam à temporarijs afflictionibus gratia Dei, nos sæpiuscule liberari, ut intrepidè æternam salutem inde speremus. Hactenus prima causa, quare infallibilem spem hanc esse censet.*

3 HAEC ME CONSOLATA EST IN HVMILITATE MEA, QVIA ELOQVIVM TVVM VIVIFICAVIT ME. *quasi dicat, Cur infallibilis non erit? Duo sanè, spes mea, quæ à uerbis tuis orta est, continebat, ereptionem nimirum, & salutem. Primum sic impletum est, ut non solum ereptus fuerim, uerum etiam spes* HÆC, *à uerbis tuis orta* ME CONSOLATA EST, *quando?* IN HVMILITATE MEA, *dum sic dolore maximo cruciabar, ut renueret consolari anima mea. Tunc enim, sicut speraui, factum est,* QVIA ELOQVIVM TVVM, *id est quod in eloquio continebatur tuo, ut me per Christum eriperes à manu persequentium me, iam* VIVIFICAVIT ME *semimortuum in hac Saulis persequutione. Quod si ita est, quare spes hæc secunda futuræ uiuificationis æternæ, infallibilis non erit? non'ne uerba, quæ tu loqueris, spiritus & uita sunt? de gradu in gradum (secundum Ambrosium) ad maio-*

res contemplationes, & usque ad ipsius uitæ æternæ fruitionem animam deducentia. Hæc enim expendens, haudquaquam dubito, quin tu, bone Deus, qui consolatus es me, in medio afflictionis meæ sic me sperare in futurum dederis, quoniam tu es spes mea Domine Deus meus.

3 ¶SVPERBI INIQVE AGEBANT VSQVEQVAQVE: A LEGE AVTEM TVA NON DECLINAVI. *quasi dicat, minimè quidem naturæ isthæc ascribi possunt. siquidem dum tempus expendo, quando* SVPERBI, *tum dæmones ipsi, quos propter suam superbiam è cœlo eiecisti, tum etiam eius filij* INIQVE AGEBANT *absque culpa rei illius, ob quam affligebar: sed non absq; causa, scilicet ut cætera peccata mea purgarem* VSQVEQVAQVE, *finem nō inuenientes affligendi corpus meum. Verùm iniquorum iudicum officium, ut quanto plus innocētiam afflicti hominis cernunt, tantò magis indurentur, misericordiæq; uice fremant & tabescant: eo quòd sicut fieri non potest, ut additis lignis, ignis extinguatur: sic animus mali iudicis malus, quanto magis ueritatem audit, tanto in malitiam excitatur. quapropter Seneca taliter oppressis consilium dat, ut minimè grauamina, quæ sustinent, se cognouisse ostendant, ne peiora deinceps cogitare incipiant. Sed dicet quispiam, quando David usquequaque passus est, qui absq; ullo martyrio regno Israel deinde potitus fuit? Cui Augustinus respondet, minimè à consortio martyrum separari debere illos, qui inuidias, simultates, æmulationes, atq; persequutiones patiuntur, inter quos David principatum obtinet: sic enim propter malignitatem hominum, infiniti Monachi, innumeriq; Fratres, secreta martyria, ob Dei amorem in cellis patiuntur, tanto magis cæteris corporalibus præponenda, quanto quòd mors omnia soluit: hi uerò etsi præ dolore sæpe in uita mori quodammodo uideantur, mortemq; optent, semel mori nequaquam possunt. Vnde fit, ut multi religiosi Dei quodammodo martyres euadant, mul-*

ti uerò satanæ falsi martyres efficiantur, Augustino teste, *qui in epistola ad plebem Hipponensium, sic ait*: Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores inueniri ijs, qui in monasterijs profecerunt: ita non esse peiores ijs, qui in monasterio ceciderunt. A LEGE AVTEM TVA NON DECLINAVI. *Strenuos gladiatores, ijs uerbis sese imitatum fuisse ostendens, non autem trepidantes, qui modò huc, modò uerò illuc, uel toto corpore, uel pro parte aliqua, membra flectunt, ut plagas aduersariorum facilius declinare queant. quasi dicat*, Ego cum id satanæ filij, & pater elaborassent, ut ad impatientiam ductus, legem tuam derelinquerem, non solum illam à me non repuli, uerum etiam A LEGE TVA, *qua iubes nos crucem oblatam subire, ut uitam æternam promereamur, propter hanc spem non declinaui, ut uel momento oblatam crucem effugere constituissem, firma nanque & stabilis uoluntas mea, ut eam subiret, perpetuò fuit: nec eam ob causam corpus de loco ad locum permutaui, ut uoluntatem tuam facere recusarem, sed secundum beneplacitum tuum, qui iubes de ciuitate in ciuitatem seruos tuos fugere, profugus atque famelicus, nemora inhabitans, illam sustinere ubiq; locorum prõptus fui*. Non ego solus domine, *sed gratia tua comite, quæ in aduentu charitatis tuæ uigorem hunc animæ dedit: ita quidem, ut cum* Paulo *dicerem*: Quis ergo separabit me à charitate Christi? an tribulatio & angustia? an fames, an persequutio? Propter quæ, *dum illa mente reuoluo, facillime mihi persuadeo spem hanc à charitate tua in anima mea infusa processisse: quandò hunc in modum, id quod natura denegat, charitas administrat: proindeq; & infallibilem hanc spem meam esse autumo, quæ à charitatis tuæ fonte orta est*.

4 ¶ MEMOR FVI IVDICIORVM TVORVM A SECVLO DOMINE, ET CONSOLATVS SVM. *quasi dicat*, Nonne ex charitatis fonte spes hæc orta est? Cum enim uerba illa in lege tua contenta legerem.

Mementote mirabilium eius, prodigia eius, & iudicia oris eius: his auditis, à charitate hac motus, quæ ocioſa non eſt, MEMOR FVI IVDICIORVM TVORVM A SECVLO DOMINE, *in quibus uidi quomodo* Abraham *& reliqui ſancti patres ab initio mundi per fidem probati, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, tanquam peregrini ſuper terram, æternam* Hieruſalem *inquirentes, quam tu prædeſtinatis paraſti, ſperantes in iudicijs tuis patienter omnia ſuſtinuerunt.* Vidi *inſuper te ſæpe permiſiſſe, ut iuſti ab impijs pro tempore affligantur, ut inde in perpetuum illos ſaluos facias:* Et, *his expenſis* CONSOLATVS SVM. Conſolatio *autem ab ipſa charitate orta eſt: unde & ſpes mea firma procedit, ut æternam quoque gloriam condones.*

5 ¶ DEFECTIO TENVIT ME PRO PECCATORIBVS DERELINQVENTIBVS LEGEM TVAM. *non ſecus, ác ſi dicat,* Nunquam *mihi perſuadere potero ſpem ipſam à natura proceſſiſſe, quoniam hæc ſpes in medio tribulationis à charitate initium ſumpſit, & poſt liberationem perfecta eſt.* At *dices, quomodo hoc noſti? quia interea dum affligebar,* DEFECTIO TENVIT ME *(hyperbolica locutio eſt)* PRO PECCATORIBVS DERELINQVENTIBVS LEGEN TVAM. *dum malefactis gaudentes, in reprobum ſenſum traditi, in uijs ſuis obſtinati pergebant.* Quo *tempore (ſecundum* Euthymium*) legem ipſam contemni in perditionem animarum illorum acerbiſſimis lachrymis plangebã: quod minimè à natura, ſed à charitate infuſa proceſſit: quæ uſque ad beatitudines luctus & ſitis iuſtitiæ me perduxit: ut aliorum mala (etiam inimicorum, qui nocent) donec ſpes emendationis aderat, ſobriè plangerem.* Tu *domine hæc ut facerẽ præſtitiſti in aduentu charitatis tuæ, à qua ſpes quoq; mea originem ſumpſit, quocirca, quin infallibilis ſit, minimè ambigendum eſt.*

6 ¶ CANTABILES MIHI ERANT IVSTIFICA-

FICATIONES TVAE, IN LOCO PEREGRINATIONIS MEAE. *quasi dicat, quare super hoc dubitabo? etenim* IN LOCO PEREGRINATIONIS MEÆ, *quãdo anima è corpore ob tribulationis angustias migrare iam cœperat, charitate refertus,* CANTABILES MIHI ERANT, *hoc est non solum gaudens patiebar; uerum etiam cantabiles cantorum hilariter canentium instar, erant mihi* IVSTIFICATIONES TVÆ, *id est mandata tua, quæ seruabam; & seruando animam meam iustificabant. Siquidem idcirco me pati expendebam, ut ab iniustis afflictus, iustior ego efficerer. & hic charitatis tuæ, non autem naturæ, quæ angebatur, effectus fuit: qua me sic gaudere in medio tribulationis dedisti, unde spes mea æternæ salutis prouenit, infallibilis & certa. Sic enim Paulo teste in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit.*

7 ¶ MEMOR FVI NOCTE NOMINIS TVI DOMINE, ET CVSTODIVI LEGEM TVAM. *Non secus ac si dicat, Qua ratione solius naturæ gaudium hoc, non autem desursum ueniens fuisse dicam? non'ne ego* MEMOR FVI NOCTE, *tum scilicet in medio tribulationis, tum uerè in nocte, quando Saul in spelunca, ubi ego eram, nocte dormiuit, quo tempore ipsum interficere facillime potuissem, & tamen hoc non feci, memor* NOMINIS TVI, *qui dicis, Mihi uindictam, & ego retribuam.* DOMINE, *cui omnia patent, & scis, haudquaquam timore, sed propter nomen tuum me id fecisse; siquidem parum esset hoc egisse, nisi propter nomen tuum id operatus fuissem: Augustino teste, qui alibi sic ait: Si enim amore tuo id facis, nil facis; si amore illius facis, optime facis,* ET, *hoc commemorans* CVSTODIVI LEGEM TVAM, *inquiens: Nisi dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut descendens in bello perierit: propitius sit mihi dominus, non mittam manum meam in Christum domini. Confregi uiros meos, & non permisi ut surgerent in Saul: quod maximum argumentum*

aduentus charitatis tuæ fuit, quæ spem tum temporalis, tum æterꝫ næ salutis misericordia tua consequendæ in corde posuit. Quibus expenꝫ sis tandem concludit.

8 ¶ HAEC FACTA EST MIHI, QVIA IVSTIꝫ FICATIONES TVAS EXQVISIVI. super quibus uerꝫ bis magnus inter doctores conflictus est. Hieronymus nãq; dicit, HÆC, id est lex, quæ expositio eam ob rem Augustino non placet, quia νόμος (id est lex) in græca lingua est generis masculini, quo circa dicere cogimur, hæc, id est ista, quæ præmisi; quæ interpretatio latinitati non congrueret, cum hæc sit uox pluralis numeri, & facta singularis. Vnde Augustinus hoc uitans, aliam addit, inquiens, hoc factum est mihi, quæ nequaquam bona est: tum quia aliter Græca & Hebræa lingua haꝫ bent, tum etiam, quia nullum uerbum neutrum præcessit, nec præceꝫ dere potuisset, cum Hebræa lingua neutro careat. Prosper uerò dicit, hæc, id est uox, quæ in lucem conuersa est. Euthymius autem, hæc sciꝫ licet memoria, dum præmissa cogitaui. Tu uerò dic, hæc, id est spes, de qua in toto octonario egit. FACTA EST à te, non quidem aderat in corde meo: neq; à simplici natura processit: siquidem supra naturã à te facta est, iuxta illud, Domine, tu es spes mea, in cuius infusione hoc duntaxat naturæ opus interuenit: quippe, quia IVSTIFICATIONES TVAS animam meam iustificantes, libero arbitrio meo à te moto & concomitãte, quantum licuit, EXQVISIVI, id est diligenter quæsiui, legi omnia tribuens, sicuti & cætera ei asscribere consueuit; perinde ac si dicat, nullum certè solius naturæ opus accessit: omnia à gratia tua proꝫ cesserunt, præter hoc quod commune fuit, nempe, quia gratia tua coꝫ mite, iustificationes tuas, tum seruando legem tuam, tum operando exquisiui; unde fit, ut spes hæc, quæ à te facta est, stabilis, tanquam à gratia tua, non autem tanquam naturæ opus in corde meo maneat, ac prionde certa & infallibilis sit, quia huc te duce ueni secundum liꝫ teræ Zain proprietatem, quam his octo uersibus diuino numine explicaꝫ

uit. Hæc lector expende, ut spem, quæ à Deo est, à propria in te ipso distinguere possis: Rursum ut post superatos satanæ filios, qui te afflixerunt cum Dauide dicas: Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Hactenus secunda pars tertiæ partis Psalmi.

OCTAVVS OCTONARIVS.

CHETH ח

Latinè vita, pauor.



CLARA uoce literam Heth, uitam significare, atq; pauorem omnes concludunt: qui quidem pauor in hoc à timore differt, quia timor motus quidam cordis est metuentis aliquod malum, quod ei appropinquat. Pauor uerò mentem ad suspicandũ iustum hominem mouet, an Dei gratiam secum habeat: uel ne ab illa, quam habet, in futurũ decidat, hæsitans an aliquid lateat, quo fiat ut regnum cœlorũ minimè capiatur: quemadmodũ Dauidi hoc in loco euenit, qui post spem æternæ salutis sibi in præcedẽti octonario propositam, timens ne ab hoc statu ciderit, aut in futurum cadat, pauere cœpit: eamq; ob causam ut pauorem hunc excludat, mox omnia percurrens, quæ fidelem Christianum facere necesse est, propriæ conscientiæ (quantum licet) periculum facit. Verum, quia sub incerto manent omnia, & magis coniecturæ quædam considerari possunt, q̃ certitudo salutis haberi, cum Paulo dixit: Nihil mihi conscius sum. portionem meam in cooperatione hac Dei & animæ, iam contuli: non tamen propter hoc iustificatus sum. misericordiæ Dei me committo, (à qua omne bonum, omnis gratia, & omne meritum procedit) ut gressus meos in futurum dirigat. Hic certè germanus sensus significationi literæ Heth conueniens. Cassiodoro tamen & quibusdam alijs placuit, pauorem hunc solicitudinem quandam fuisse, bonum illud quod sperat

acquirendi: nimirum ut post mandatorum implementum faciem domini uidere quiret, in quo uita. Tu uerò lector subsiste paululum, donec omnes octo uersus sequentes legeris, ut horum diuersorum sensuum legitimum iudicium facere possis. Diuiditur autem in partes duas: quarum prima durat usq; ad uersum, Misericordia tua, in qua causas contemplatur, quibus sibi ipsi persuadet, pauorem hûc se excludere posse. In secûda Dei misericordiam inuocat. hunc enim in modum octonarius iste declarandus est: non autem dicendum ecclesiam uel Christum loquutum fuisse, quemadmodum aliqui tenent: minimè tamen propterea negantes quin post literæ proprietatem explicatam, sensus spirituales quotquot erunt, eidem literæ accommodari possint. siquidem non inconuenit, ut eadem litera plures sensus in sacra scriptura habeat, uti paulò ante dixi.

Heth 1 PORTIO MEA DOMINE: DIXI CVSTODIRE LEGEM TVAM.

Heth 2 DEPRECATVS SVM FACIEM TVAM IN TOTO CORDE MEO: MISERERE MEI SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

Heth 3 COGITAVI VIAS MEAS, ET CONVERTI PEDES MEOS IN TESTIMONIA TVA.

Heth 4 PARATVS SVM, ET NON SVM TVRBATVS, VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

Heth 5 FVNES PECCATORVM CIRCVMPLEXI SVNT ME, ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

Heth 6 MEDIA NOCTE SVRGEBAM AD CONFITENDVM TIBI SVPER IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

Heth 7 PARTICEPS EGO SVM OMNIVM TIMENTIVM TE, ET CVSTODIENTIVM MANDATA TVA.

Heth 8 ¶ MISERICORDIA TVA DOMINE PLENA EST TERRA: IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

1 ¶ PORTIO MEA DOMINE, DIXI CVSTODIRE LEGEM TVAM. *Quanquam uocem, portio, multifariam interpretari posse Augustinus et cæteri doctores censent, primum ut illud, Mihi autem adhærere Deo bonum est: secundo, ut eo modo quo res diuidi solent, quando unusquisq; partẽ suam capit, à qua deinde fructus tanquam proprios colligat, ut ex ijs uiuat: ad eundem modum piorum hominum portio ipse Deus sit, ut in ea semper uiuant. Itaq; secundum Dionysium Prophetam orasse, O domine, qui es portio mea, id est unicum bonum, quod præ cæteris amo, hæreditas planè illa, quam filijs tuis ab æterno præparasti, ad quam uenire despectis mundi delicijs depropero, una tamen est utriusque substantia. Mea tamen sententia uerba hæc,* PORTIO MEA DOMINE, *alium sensum habent, nempe ut minimè portio ipsa in accipiendo consistat, immo potius contrà, portionem eam esse, quæ conferatur, ad illum sanè modum, secundùm quem multi circa idem concurrentes, ut hoc uel illud fiat, singuli propriam portionem ponunt. quasi dicat, Portio mea domine, quæ in hac mea & tua cooperatione conferenda erat.* DIXI, *id est statui, decreui, atq; promisi (Cassiodorus inquit) Nos autem non sic: sed quòd uox ista, dixi, perpetuò in hoc Psalmo significet, confessus sum: ita ut dicat, Portio mea domine, sicut perpetuò confessus sum, hæc est,* CVSTODIRE LEGEM TVAM, *quam gratia tua comite, cæterorũ peccatorum antea cõmissorum pœnitens, usq; ad latum mandatũ crucis in præterita Saulis persecutione me impleuisse eam ob causam existimo, quia me non liberasses, anteq; faceres ex tentatione prouentum. Quod*

si ita est, quare pauebo? Mox tamen cogitat multis Deum pepercisse, qui adhuc affligendi fuissent, ne inimici eorum exultarent, dicentes, Manus nostra hæc fecit, & non dominus, ita ut esse possit se liberatum esse, & nihilominus legem non seruasse: qua re commotus, ut pauorem hunc excludat, sequentia uerba subiungit.

2 ¶ DEPRECATVS SVM FACIEM TVAM IN TOTO CORDE MEO: MISERERE MEI SECVNDVM ELOQVIVM TVVM. *quasi dicat, minimè ambigo, quin isthæc, quæ in præcedenti uersu cogitaui, sic esse potuerint, sed ecce aliam portionem meam propono, nimirum ut minimè iustitiæ meæ innixus fuerim, sed misericordiæ tuæ;* DEPRECATVS
2 *nanq;* SVM *orationibus meis* FACIEM TVAM, *hoc est, ut facie ad faciem te uidere queam: tum diuinitatem ipsam intellectus oculo, tum Christi faciem, quam oculo corporali homines in cœlis uidebunt (Hugo inquit.) Nos autem dicamus, faciem quam ostendis, dum nos misericorditer saluare eligis, ut illud, ostende faciem tuam, & salui erimus.* IN TOTO CORDE MEO. *hoc est intellectu, & affectu, siquidem mens diuisa nihil impetrat, & dixi* MISERERE MEI, *& ab occultis meis munda me,* SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, *per quod dixisti, Cum ingemuerit peccator, nõ recordabor amplius iniquitatum eius. Verum, quia hæc quoq; causa eodem morbo laborat, eo quod multi ad hanc misericordiam recurrentes, rectè se pœnituisse putant, qui id minimè egerunt, quemadmodum Saul contigit, dominum aliter q̃ dicebat inuocando, tempore quo condemnatus erat: ijs hunc in modum expensis, aliam addit causam, qua pauorem excludere possit.*

3 ¶ COGITAVI VIAS MEAS: ET CONVERTI PEDES MEOS IN TESTIMONIA TVA. *quasi dicat: Non solum cogitaui* VIAS MEAS *peccatorum, easq; cogitans uerè me peccasse pœnituit, uerum etiam* ET CONVERTI *quoque* PEDES MEOS *malæ uoluntatis, ne ad malum in futurum tenderent,*

IN TESTIMONIA TVA, *ut eo modo, quo ipsa docent, post pœnitentiam ambularent. cum enim Saul me interficere conabatur, contra ego ne ipse occideretur, iussi: quod quidem gratia tua factum est, quilidcirco incipis, ut opus perficias usque in finem. Quare igitur pauebo? Sed quia possibile erat pedum conuersionem hanc in testimonia Dei à gratia perseuerantiæ temporalis ortam fuisse, quandoquidem multos cernimus, qui temporaliter secundum gratiam in libro uitæ scripti, propter peccata deinde delentur, adhuc pauens, sequentem causam addidit.*

4 ¶ PARATVS SVM, ET NON SVM TVRBATVS, VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

Placet quibusdam, per has uoces, PARATVS SVM, *Prophetam non solum per se aptum fuisse ad custodiendum mandata; uerùm etiam in ipsa mandatorum obseruatione præuidens futuram crucem, sic animũ muniuisse, ut tolerabiliòr crux ipsa sibi facta fuerit, eò quòd præuisa mala minus nocent, ac proinde* NON SVM TVRBATVS, *id est minus turbatus (secundum quosdam) ad sustinendum illam paratus fuerit. Alijs uerò placuit, Prophetam hoc in loco declarare, sufficere ei paratum esse, implicitè credere omnia, quæ in lege continentur. de quo Propheta minimè agit, nec agere posset, siquidem quantum ad articulos fidei attinet, nequaquam hoc sufficeret, eò quòd articuli hi explicitè sunt credendi, hoc est animum præparatnm habere pro loco et tempore ad illos explicitè credendum. Et idcirco aptius dicemus eum promptum fuisse non solum explicitè credere, uerum etiam obedire: quoniam uirtus obedientiæ in uoluntate consistit: proindéq; sufficit, ut promptitudo uoluntatis, præcipienti domino se subijciat. Hic sanè Prophetæ sensus (Augustino authore) fuit, ut paratus sit de præsenti nouas passiones in futurum à domino immittendas, patienter & summa cum obedientia ferre, quemadmodum (Christum repræsentans) alibi propheta dixit: Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor*

meus in conspectu meo semper. sic enim Augustino in simili placuit, ut consilium illud domini, siquis percusserit te in una maxilla, praebe illi & aliam, huiusq; generis reliqua, hoc modo impleatur, nempe ut homo propter obedientiam ad patiēdum promptum animum habeat. Quapropter Paulus alibi ait: Ego autem non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Itidem Abraham, etsi Isaac non occidit, quia tamen promptitudo animi ad occidendum aderat, obedientia haec, quam Deo praestare obligabatur, pro opere reputata fuit, domino in eodem loco teste, cum ait: Nunc cognoui quòd timeas dominum, quia obediuisti uoci meae. sic enim Prophetae uerba interpretanda sunt, dum ait, Paratus sum, & non sum turbatus: non quòd caro mea infirma non trepidet, sed quia ratione gaudens, omnia propter te sustinere promptus maneo, ut sequitur: VT CVSTODIAM MANDATA TVA, *etiam crucis, quae superuentura est. Verum, quia huic quoq; causae principiò obstabat, quòd natura (secundum Stoicos) id ipsum efficere potest, ut minimè illa mala timeamus, quae à nobis non proueniunt, sed ab alijs inferuntur: & aliud item, quoniam ut Paulus testatur, possumus absq; charitate Dei tanquam Satanae martyres (putantes nos saluantem fidem habere) corpora in ignem, ut ardeant, mittere: & minimè gratia Dei, sed tanquam diaboli martyres haec pati, cum praesens status, futuri, infallibile (quod aiunt) signum esse non possit. his expensis, fortius Propheta pauet, ne promptitudo haec à natura, non autem à gratia simul procedat: & sequentia addit.*

5 ¶ FVNES PECCATORVM CIRCVMPLEXI SVNT ME. *quae metaphorica loquutio (secundum Hugonem) est, per quam ita animam peccatis constringi significat, sicut corporales res funibus constringuntur. Sed rectius dicemus, Prophetam, qui in toto Psalmo hoc agit, ut ea nimirum ex ratione salutem speret, quia legi se haerere animaduertit, aliud q̄ Hugo cogitat, hic sentire, nempe in medio durissimae passionis perpetuò legi sese haesisse: & minimè cum*

Stoicis

stoicis ob inanem mundi gloriam, ſed propter legem ſic præcipientem, omnia ſuſtinuiſſe, quemadmodum alibi dicit: Propter legem tuam ſuſtinui te domine. Non ſecus ac ſi dicat: FVNES PECCATORVM, id eſt cruciatus hominum peccatorum perſequentium me, tanquam funes CIRCVMPLEXI SVNT ME, quibus minimè ego ſolus reſiſtere potuiſſem: ſed gratia tua comite omnia ſuperaui: & quantúlibet cruciatus, legem tuam ſemper ſum ſcrutatus: ut ſequitur: LEGEM AVTEM TVAM NON SVM OBLITVS. oſtendens nobis, tempore quo opus feruebat, & abſq; menſura ipſum affligebant, ita quidem ut uix legis memor eſſe potuiſſet, adhuc legi, id eſt contentis in lege hæſiſſe, à qua nunquam diſceſſit: ob quæ nunc dicere audet: quare igitur pauebo? Non'ne hoc magnum prædeſtinationis ſignum eſt, in medio tribulationis peccatorum noſtrorum perpetuò pœnitendo legi hærere? Sed quia ſigna nihil ponunt in eſſe, pauens adhuc alteram cauſam, quæ pauorem excludit, addit.

6 ¶ MEDIA NOCTE SVRGEBAM AD CONFITENDVM TIBI SVPER IVDICIA IVSTIFICATIONIS TVAE. Doctores ſuper intelligentia uocum iſtarum MEDIA NOCTE, ualde laborant. Primum enim Chriſtum in oratione pernoctaſſe contẽplantur, Aegyptiorum item primogenita hoc tempore ab Angelo fuiſſe occiſa, Petri & Pauli uincula nocte reſoluta, ac Satanam hoc tempore commodius animas tentare, quo liberius peccatores abſq; adſtantium uerecundia illas coinquinant, præſertim, quia minus rectè cum euigilant, quid agant animaduertentes, peccare propter humanam conſuetudinem eligunt. Nos uerò ijs omiſſis, & illis quoq;, quæ in contrarium adduci poſſent, Auguſtinum ſequamur, cui placuit, ut dicamus MEDIA NOCTE, id eſt in medio tribulationis, quam ſæpe noctem Propheta nominat, ſicut in pſalmo illo, Probaſti cor meum, & uiſitaſti nocte, & alibi, Memor fui nocte nominis tui domine. iſtiuſmodiq; generis reliqua, per quæ plerunq; & tribulationem

M

& tempus noctis simul ostendit. SVRGEBAM. *uerè surgebam, siquidem sic oppressi spiritus eorum, qui cruciantur, manent, ut propter afflictiones, quæ undiq; ipsos circumeunt, semimortuos plerunq; se esse putent, quemadmodum alibi dixit, In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra illum: renuit consolari anima mea, & defecit spiritus meus. anticipauerunt uigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus. Non tamen solus surgebam, sed gratia tua duce, qui omnes elisos erigis.* AD CONFITENDVM TIBI, *id est laudandum te (Ambrosius inquit) eò quòd Propheta dum his uerbis utitur, se uelle Deum laudare demonstrat propter opus bonum, quod ei consummare concessit; unde sequitur,* SVPER IVDICIA IVSTITIÆ TVÆ, *quæ in medio tribulationis me facere gratia tua condonasti, quæ qualia sint, in primo octonario declaraui. quasi dicat, Quænam uis naturæ circa hoc considerari poterit? sola quippe Dei gratia hoc effecit, quæ media nocte me surgere præstitit, & mecum cooperata est, interea dum inter spiritum & carnem iudicium & iustitiam feci. quare igitur pauebo? Hic germanus sensus, non autem ille, media nocte ad orandum eum surrexisse, cuius temporis paulò post memor erit, cum ait: Septies in die laudem dixi tibi. At quia parum præterita iudicia prosunt, nisi illa de præsenti faciamus: conspiciens propter fidem quam habebat, adhuc (quálibet peccator) unum de ecclesiæ membris, & pœnitens se esse, sequentia subiunxit.*

7 ¶ PARTICEPS EGO SVM OMNIVM TIMENTIVM TE, ET CVSTODIENTIVM MANDATA TVA. *Quæ uerba eo modo intelligenda sunt, sicut Ecclesia in celebratione sacri sacerdotes iubet orare: Domine, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuæ, ut in oratione fidei (secundum Iacobum) saluus sim. Hic certè ille Propheta est, qui ob eandem causam alibi dixit: O domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, quod nunc sequentibus uerbis expri-*

mit dicens: PARTICEPS *saltem* EGO SVM, *si portio mea nihil est*, OMNIVM TIMENTIVM TE, *timore filiali*, ET CVSTODIENTIVM MANDATA TVA, *nimirum ecclesiæ, quæ ex sanctis uiris fidelibusq; membris in unum congestis, & capite Christo constat: ecclesiæ saltem fide, cum me peccasse pœniteat, saluus ero, in qua charitas diffusa per spiritum sanctum manet, ut ea fide ecclesiæ, in qua nunc sto, & defectura nequaquam est, saluus fiam. At quia non minus quàm in cæteris errare poterat, aliud cum sit de numero esse, aliud uerò meritum ecclesiæ participare, à quo multifariam in futurum poterat excludi: proinde cum timore & tremore propriam salutem operando, in hunc, qui sequitur modum orat.*

8 ¶ MISERICORDIA TVA DOMINE, *quæ super omnia opera tua est, et iudicium superexaltat*, PLENA EST TERRA, *sicut scriptum est, in omnem terrã exiuit sonus eorum. Et dixit plena, quoniam Christi merita superabundarunt peccata mundi. Terra item, id est ecclesia tua, misericordia tua plena est: cum nulla iustificatio in ea adsit, nullum iudicium, nullum iustitiæ opus, nulla salus, quæ ab infinita misericordia tua principium et finem non habuerit, per Christum filium tuum magistrum nostrum, qui nos iustificationes tuas perpetuò docet. Tu igitur domine præsta, ut hæc quoq; terra corporis mei, misericordia tua plena sit, & per spiritum sanctum tuũ* IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME, *sic perseuerãdo usq; in finem, sicut hactenus docuisti me, à statu iniustitiæ ad statũ iustitiæ peruenire. Age mi domine, ut spiritus tuus, qui ductor meus est, deducat me in terram rectam propter nomen tuum, donec cum timore et tremore ad propriam salutem operabor. vbi bellè uides quòd tametsi multa signa futuræ salutis ex his, quæ præsentia sunt, coniectare ualeamus: quanq; præterea spes ipsa certa sit: non tamen sic firma, quin paueamus, ut perpetuò nos cadere posse ab ea proinde & à gratia cogitemus. Dixi hæc, ut literæ Heth proprietas declararetur, hoc est ut cum uita uel præsenti uel futu-*

ra, quam speramus, donec in uia sumus, pauor ille coniungatur, quem sanctos quoq; habere decet: ut cum timore & tremore æternam salutem operentur. Hactenus quarta pars tertiæ principalis partis psalmi.

NONVS OCTONARIVS.

¶ TETH ט

Latinè exclusio, bonum. secundum Ambrosium: Hieronymus verò dicit bonum.



VO modo in aduentu persecutionis Saulis, arma à Domino Propheta ipse principio petijt, quibus strenuè deinde certauit: eodem nunc, cum noua Absalonis persecutio sese offert, eadem arma petit. Significat nanque litera Teth exclusionem, & bonum: sub qua significatione à bono Deo bona sibi elargiri obsecrat, ut mala, quæ offeruntur, excludere possit. Diuiditur autem in partes duas: quarum prima durat usq; ad uersum Multiplicata, in quo prænarrata bona petit. In secunda uerò, persecutio Absalonis aduenit.

Teth 1 ¶ BONITATEM FECISTI CVM SERVO TVO DOMINE SECVNDVM VERBVM TVVM.

Teth 2 BONITATEM ET DISCIPLINAM ET SCIENTIAM DOCE ME, QVIA MANDATIS TVIS CREDIDI.

Teth 3 PRIVSQVAM HVMILIARER, EGO DELIQVI: PROPTEREA ELOQVIVM TVVM CVSTODIVI.

Teth 4 BONVS ES TV, ET IN BONITATE TVA DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Teth 5 ¶ MVLTIPLICATA EST SVPER ME INIQVITAS SVPERBORVM: IN TOTO CORDE SCRVTABOR MANDATA TVA.

Teth 6 COAGVLATVM EST SICVT LAC COR EORVM: EGO VERO LEGEM TVAM MEDITATVS SVM.

Teth 7 BONVM MIHI, QVIA HVMILIASTI ME, VT DISCAM IVSTIFICATIONES TVAS.

Teth 8 BONVM MIHI LEX ORIS TVI, SVPER MILLIA AVRI ET ARGENTI.

1 ¶ BONITATEM FECISTI CVM SERVO TVO DOMINE, SECVNDVM VERBVM TVVM.

Absalonis persecutio cum proxima esset, memor David adiutorij obtenti in saulis persecutione, sic orat: BONITATEM FECISTI CVM SERVO TVO DOMINE, *quando in persecutione Saulis gratiam infundendo, à tantis malis me liberasti.* SECVNDVM VERBVM TVVM *nobis promissum, quod per uerbum tuum Christum omnes sperantes in te, modò temporaliter, modò in perpetuum saluares. Hic germanus literæ sensus: quem intellexisse parum iuuat, nisi causam, quare uerba hæc dixerit, intelligamus. Cogitauit nanq; psaltes adeò Deum ipsum bonum esse, ut non solum propter bonitatem suam ad benefaciendum moueatur, sed sic moueatur, ut uoluntas nostra, quæ mala sæpe est, bona uolũtas efficiatur: qua sic effecta, quia Deus non ita dat, ut ab obligatione aliqua se eximat, quin potius ut habenti rursum det: Propheta, qui semel gratiam accepit, ut in persecutione Saulis, uoluntas eius mala, bona efficeretur: id nunc eam ob causam commemorat, ut deinde ab eo, qui dedit semel, in sequenti uersu iterum eandem gratiam obti-*

neat. Hic uerus literæ sensus, secundum literæ Teth proprietatem, quæ exclusionem malorum, per intromissionem boni, id est gratiæ, significat. Illum itaq; sequere, ne cum illis erres, quibus placuit, uocem illam uerbum, quam Græci λόγος dicunt, quod etiam rationem significat, rationabiliter id Deum præstitisse ostendere: quia alibi scriptum est, omnia in recto iudicio facis. Neq; cum illis decipiaris, qui de infusione animæ, aut de simplici aduentu Christi egisse censent, hæc enim in sequēti octonario tractat: quasi dicat: Tu igitur domine, qui hanc bonitatem in altera Saulis persequutione fecisti.

2 ¶ BONITATEM, nunc quoq; gratiam doni sapientiæ tuæ infundendo, quia te Deum nobis summum bonum esse cognoscimus. ET DISCIPLINAM, id est effectum disciplinæ huius, quæ offertur: donū nimirum intellectus, sicut scriptum est, uexatio dat intellectum, non modò naturalem, sed etiam infusum. At dices, quid commune, dona ista cum ipsa tribulatione, quam patimur, habent; nempe ut præsentes angustias tribulationis, cognito fine in primis temperemus: secundò, ut ne iterum affligamur, futura peccata præcaueamus. sic Iob nos docet, cum ait: Deus instruit hominem disciplina, ut auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet illum de superbia. & alibi idem Propheta, Disciplina tua domine me correxit in finem. ET SCIENTIAM, id est donum scientiæ rerum creatarum, antequam tribulatio adueniat: ut omnes mundi uanitates his donis contemnere, sustentationes autem tuas sustinere possim. DOCE ME domine, ne propter ignorantiam illa diligam, quæ omnino debent contemni. Verum rursum dices, non'ne omnia ista paulò ante obtinuit? quare ergo nunc eadem petit? Cui quæsito respondebo, ea ex re Prophetam eadem dona petijsse, quia pauor in quo erat, adhuc illum uexabat, ne illa perdiderit. Rursum quoniam noua persecutio nunc offertur, quæ ijsdem medelis in maiori gradu eget: & idcirco Paulo conformis, cum ait, Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, dona hæc petit, ut

in mandato nouæ huius crucis, quæ nunc offertur, rectè ambulare possit; quasi semper nos discere oporteat, (si Cyrillo in prouerbijs suis credimus.) eò quod sapientia finis est prudentis; cui quanto uiciniores sumus, tanto maiori impetu, ut ipsam amplectamur, currimus. Deinde pro ratione addit: QVIA MANDATIS TVIS CREDIDI, non modo ut mandata seruem, sed etiam ut tu idem bonus Deus, qui illa præcepisti, unde adimpleri possint, credentibus pro tua misericordia retribuas. Da igitur domine id quod te præstaturum perpetuò credidi, & loquitur per tempus præteritum, CREDIDI, ut primum donum fidei infusum se conseruasse commonstret: ac se propter hanc fidem sufsperare, ut eo modo quo post habitum fidei infusum, dona hæc, quæ petit, oratione in alia saulis persecutione superuenerunt, itidem & nunc condonentur. Quasi idem bonus Deus, qui hunc in modnm tunc bonitatem fecit, eandem bonitatem (ut dixit) nunc facturus sit. Audent nanq; fideles maiori cum fiducia Deum adire, & si qua necessaria sunt, ab eo tanquam à patre petere.

3 ¶ PRIVSQVAM HVMILIARER, EGO DELIQVI, PROPTEREA ELOQVIVM TVVM CVSTODIVI: quoniam triplici ratione persecutiones extrinsecus electis suis Deus ipse immittit: Prima, ut hi quorum fides probata est, coronentur. Altera, ut fides in uia probetur, eaq; probata, eos quos cruciari iussit, à manu inimicorum liberet: itaq; liberati æternam salutem feruentius sperent. Et tertia, ut peccatores ad Dei misericordiam, pœnitentia comite, ad quam à Domino adducuntur, accedere possint: quemadmodum Sara Thobiæ hæc omnia sua oratione ostendit, cuius uerba sic habent [Hoc pro certò scio, quoniam si homo in probatione fuerit] id est eius fides ad mortem usque probata fuerit, [coronabitur. si in tribulatione] quæ idcirco à Domino immittitur, ut fides eius tribulatione ipsa probetur, itaq; intelligat an in fide uitam ducat [liberabitur.

Et si in corruptione] id est peccatis, quæ animam corrumpunt, [ad misericordiam tuam uenire licebit] quando tu illos ad pœnitentiam uocas atq; adducis. Hæc intuens Propheta, in consueta mansuetudine loquens, minimè se coronæ bene meritum esse inquit, neq; ut fide eius tanquam iusti hominis probata, se liberari petat: sed potius propter propria peccata afflictum se esse palam confitetur, inquiens, PRIVSQVAM HVMILIARER in prima persequutione Saulis: tametsi in saulem ego non peccauerim, tamen propterea illam immisisti, quia tibi alijs modis peccaueram, ut sequitur: EGO DELIQVI, quod ego expendés, PROPTEREA, quia iustè me affligi conspexi, summa cum humilitate ELOQVIVM TVVM CVSTODIVI, ore & corde peccatorum commissorum pœnitens: per quam pœnitentiam (quæ donum tuum est) charitatem intromittendo secundũ literæ Teth proprietatem omnia peccata mea exclusisti. Et idcirco haudquaquam dubito, quin facilius nunc, postquam peccati in Vriam & Bethsabee commissi culpam remisisti: sicut Propheta Natham mihi nunciauit, à pœna quoque (hac tribulatione Absalonis prævia, quæ propter peccata mea immittitur) me liberare dignaberis.

4 BONVS ES TV, ET IN BONITATE TVA DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

BONVS ES, à te, non ab alio bonus factus. TV, eo quod solus bonus: perinde ac si cum Anaxagora dicat, Tu Deus ens bonum es, non modò in temetipso, sed nobiscum, cum præstas ut tuam bonitatem participemus: & non solum bona bonis, uerum etiam bona malis das, ac proinde, quanquam persecutio hæc pro pœna peccati mei aduenerit, non propter me, qui malus sum, & maiora mereor: sed propter te, qui solus bonus es, hanc persecutionem mihi profuturam spero. IN BONITATE igitur tua, qua bona malis dare soles, obsecro mi domine DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS, id est age, ut patiendo gratia

tua

tua comite, opere custodiã iustificationes tuas. Age mi domine, ut patientia, quam tu infundis, tanta sit, ut obtinere merear beatitudinẽ munditiei cordis, qua in uia in te ualeam frui; itaq; bonitate intromissa, mala omnia excludantur. Hactenus oratio ipsa Dauidis antequam persecutio sua perueniret, qua arma petit, ut legitimè Domini prælia certare possit.

5 ¶ MVLTIPLICATA EST SVPER ME INIQVITAS SVPERBORVM: EGO AUTEM IN TOTO CORDE MEO SCRVTABOR MANDATA TVA. Hic durior illa Absalonis persecutio incipit: propter quã sic ait: MVLTIPLICATA EST per hanc secundam Absalonis persecutionem. quæ nunc SVPER ME uenit. Et dicit, super me, quasi extra, non autem intus, ut Deus eum intrinsecus in animæ perniciem tentari iusserit: quandoquidem si Deus & Satan circa extrinsecam persecutionem unà tendunt, diuersum tamen finem habent. Deus nanque idcirco carnem affligi iubet, ut anima poliatur: Satan uerò ideo tentat, ut hac uia anima perdatur, quãobrem ipsam persecutionem, quam respectu Dei supra bonitatem uocauerat, iniquitatem nunc respectu persequentium appellat, ut sequitur: INIQVITAS SVPERBORVM, eorundem scilicet dæmonum, ac filiorum suorum; quasi dicat, hi qui præteritam Saulis persecutionem (ut me perderent) iniquè tractarunt, maiori impetu, atq; magna cum iniquitate nunc me pessundare iterum uenerunt. EGO AVTEM ut contrà, è regione maiorem defensionem multiplicem, interea dum ipsi me affligere laborabunt, IN TOTO CORDE, tanquam amans scrutator, qui non idcirco legem scrutatur, ut scrutatio in ipsa legis intelligentia consistat, immo potius quò opere illa, quæ ibidem cõtinentur, impleat, SCRVTABOR MANDATA TVA, hoc est legem tuam: unde omnes medelas hauriam, quæ his malis adhibere necessum erit, haudquaquam hæsitans, quin Christus in lege contentus, qui à persecutione Saulis me tutum reddidit, ab ista quoq; defendat, legi, hoc est contentis in lege omnia adscribens, literæq; proprietatem ser-

uans, ut per gratiam in lege euangelica contentam, quæ bona est, iniquitates superborum malas excludere possit.

6 ¶ COAGVLATVM EST SICVT LAC COR EORVM: EGO VERO LEGEM TVAM MEDITATVS SVM. *per quam metaphoram, hebetem mentem inimicorum narrat, qui suas (neglecta lege) rerum terrenarum cogitationes alunt: & cum ipsi capaces uirtutum non sint, uirtute præditos durius affligunt. Cœperat nanq; crudeliora experiri regius iste pastor, quando nudis pedibus incedens, Semei contumelias audiuit. quocirca postquam dixerat, Multiplicata est super me iniquitas superborum (per quæ uerba nouam persecutionem superuentam ostendit) ut duritiem cordis inferentium uim commonstret, uerba isthæc subiungit. Sed dices, Quid cõmune cum lacte mens ipsa praua habet? nempe quia lactis usus (ut quibusdam placet) homines hebetes facit. Alij uerò hanc metaphoram aliter interpretantur: quippe ut eo modo, quo lac coagulatum indurescit, sic cor eorum induretur. quod nequaquam, eam ob rem, placet, quoniam multa aderant duriora, à quibus aptiorem metaphoram Propheta sumere potuisset. Plerisq; uerò placuit, ut lac manibus coagulatum, id est constrictum, fortius indurescat: sed tunc caseus nominatur. Nos autem dicamus, Dauidem secundum proprietatem uocis, coagulatum, hoc intellexisse: nempe ut eo modo quo lac dulce, dum coagulatur à seipso, ex dulci amarissimum fit, ita quidem ut nullum dulcedinis signum in eo remaneat: sic homines isti, qui me persequuntur, ex amicis, qui esse solebant, dulcissimamq; consuetudinem mecum habebant, fel aspidũ in ore nouissimè tenent. Hunc enim in modum uerba hæc declarando tam in Absalone & complicibus, q̃ in Satana & membris eius uerficabuntur; hac metaphora crudeliorem tentandi speciem ostendendo.* EGO VERO *è regione* LEGEM TVAM MEDITATVS SVM. *Obserua lector tu præsertim, qui ab iniquis quotidie affligeris, quomodo Propheta omnes perturbationes sola meditatione legis, solaq;*

ſcrutatione mandatorum, propter ſpem eorum, quæ ibidem continentur, ſuſtinet. quaſi dicat, ipſi uenenum ore detinent, tametſi mel ori adeſſe cōmonſtrare plerunq; nitantur: et intromiſſa ſuperbia, omnem bonitatem excludunt; ut in amaritudine fellis ſemper uiuant. Siquidem illam pacem diuitiarum, quam mundus dat, ipſi duntaxat habent; quæ non ſemper, nec ubiq; tuta eſt, nec perpetuò ſinit nos in medio theſaurorum quieto animo dormitare. Ipſi præterea tanq; cæci manu tentantes incedunt, minimè futuras ſuas pœnas penſantes, interea dum cum apparenti gaudio uitam ducunt; ego uerò legem tuam meditatus ſum, ubi finem cruciatus huius intueor, intuendoq; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione mea.

7 ¶ BONVM MIHI, QVIA HVMILIASTI ME, VT DISCAM IVSTIFICATIONES TVAS. sunt aliqui qbus placet, ut Propheta ſic loquatur, BONVM MIHI, quia dereliquiſti me: quoniā contra Vriam et Bethſabee peccaui, tametſi peccatū in ſe malum ſit: quia ſicut Paulus inquit, vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. Mea tamen ſententia, quāquam opinio hæc bona in ſe ſit, quemadmodum in octonario xviij. dicemus, ubi de hoc Propheta agit, hic cōmodè ſtare non poteſt. ſiquidē litera non dicit, quia peccaui, ſed quia humiliaſti me; quare dicamus, BONVM MIHI, QVIA HVMILIASTI ME, in perſecutione Saulis, eò ꝙ humiliata carne, gratia tua ſpiritus quoq; humiliatus eſt: non quidem ut in ſola afflictione res conſiſteret, ſed potius VT, hac uia ex his, quæ in præteritum expertus ſum, dum diſciplina tua donis infuſis correxit me in finem. quod perinde eſt, ac ſi diceret, humiliaſti me ut DISCAM nunc opere ſeruare IVSTIFICATIONES TVAS, cum litera Teth ludens, quæ bonum & excluſionem ſignificat: quaſi bonum ſibi intromiſſa tribulatio fuerit, per quam gratia Dei omne malum excluſit, & ad bonam uitam futuram animam præparauit: id ipſum ſuperſperans, ut gratia Dei comite, obedientem ſe nunc iterum oſtendat.

8 ¶ BONVM MIHI LEX ORIS TVI SVPER MILLIA AVRI ET ARGENTI. Non secus ac si dicat, quid pluribus super bono hoc à te in lege contento proueniente insistã? quando omnes bonitates, quæ ab his afflictionibus oriuntur, octo uersuũ numero concludi minimè possunt: uerum ut reliquis finem imponamus, hoc tandem dicam: ꝙ si superbi, qui mihi iniquè aduersantur, in auro et argento summũ bonum posuerunt: BONVM MIHI, qui dedicatus sum seruitio tuo, LEX ORIS TVI, id est ore Christi prædicata. Oris item tui, qui in ore Prophetarum ac sanctorum loquebaris. Et quò non modò bonum, sed summum bonum sibi legem esse ostenderet (siquidem Deũ summum bonũ continet) sequentia uerba subiunxit, SVPER MILLIA, quasi absq; comparatione, eò ꝙ numerari non potest excessus iste, etiam si nõ modo numeremus per centena, sed per millia AVRI ET ARGENTI: cuius metalli plenas arcas aduersarij habent: ac loco tui, iustitiæq; tuæ, quam excludunt, aurum pro Deo, proq; omni iustitia præponunt. Ego autem hæc omnia contemno: & legem tuam, in qua uerbum incarnatum continetur, cordi repono: neq; alium thesaurum, præter hunc, custodire statuo: per quæ tandem omnia mala Propheta excludit, ut unicum & solum bonum Christum in anima intromittat. Memor sanè uerborum Domini fuit, qui sic ait: In me sunt diuitiæ et gloriæ, opes superbæ, & iustitia. Melior est fructus meus auro, et lapide precioso: et gemma mea, argento electo. O te fœlicem, qui cum in humilitate tua dominum inuocasses, dicere cum Salamone nunc potes: Datus est mihi sensus, & inuocaui, & uenit in me spiritus sapientiæ: & præposui illum regnis & sedibus: et diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, neq; comparaui illi lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in comparatione illius. ita ut tandem audacter dicas, Disciplina mihi pro remuneratione aduenit. Vtinamq; ut tecum id ipsum dicere usq; ad horam mortis possim, mihi à Domino condonetur.

DECIMVS OCTONARIVS.

IOD,

Latinè principium scientiarum, confessio, desolatio:
Hieronymus verò principium.



CVM in septimo octonario spem suam, quam infixam cordi habebat, Propheta enarrasset; ac paulò post in octauo pauere cœpisset: iterumq; in nono pauor ipse propter Absalonis persecutionem, quæ successit, supercreuisset: considerans principium scientiarum ipsam Dei sapientiam esse, qua duce etiam de primo principiorum principio cognitionem habemus, eamq; tanti uigoris esse, ut cum in supremo gradu secundum mensuram condonatam aduenit, siqua dona intrinsecus à domino obtinuimus, in beatitudines eadem transire præstat, beatitudines uerò efficiunt, ut omnem desolationem contemnamus: modum his cognitis quærit, per quem ad beatitudinem munditiei cordis, qua Deum uidere digni efficimur, facilè perueniat. Cui bonus Deus humilitatem ostendit; eamq; Propheta humaniter amplectitur, ut ea duce, omnia illa, quæ litera Iod significat, opere consummare, omnemq; pauorem foras mittere possit. At dices, quid litera Iod significat? Principium scientiarum, confessionē, & desolationem, non quidem alia diuisione octonarius iste eget. siquidem nil aliud Propheta pauens agit, quàm in sua desolatione pergens, Deum obsecrare, ne ipsum ad ultimam desolationem deducat: magis autem, ut liberatus possit coram gentibus re & uerbo eius misericordiam confiteri.

Iod I MANVS TVAE FECERVNT ME, ET PLASMAVERVNT ME: DA MIHI INTELLECTVM VT DISCAM MANDATA TVA.

iod 2 QVI TIMENT TE, VIDEBVNT ME, ET LAETABVNTVR, QVIA IN VERBIS TVIS SVPERSPERAVI.

iod 3 COGNOVI DOMINE QVIA AEQVITAS IVDICIA TVA: ET IN VERITATE TVA HVMILIASTI ME.

iod 4 FIAT MISERICORDIA TVA VT CONSOLETVR ME, SECVNDVM ELOQVIVM TVVM SERVO TVO.

iod 5 VENIANT MIHI MISERATIONES TVAE, ET VIVAM, QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

iod 6 CONFVNDANTVR SVPERBI, QVIA INIVSTE INIQVITATEM FECERVNT IN ME; EGO AVTEM EXERCEBAR IN MANDATIS TVIS.

iod 7 CONVERTANTVR MIHI TIMENTES TE, ET QVI NOVERVNT TESTIMONIA TVA.

iod 8 FIAT COR MEVM IMMACVLATVM IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS, VT NON CONFVNDAR.

1 MANVS TVAE FECERVNT ME, ET PLASMAVERVNT ME: DA MIHI INTELLECTVM, VT DISCAM MANDATA TVA.

Ecce quomodo Propheta humilitatem in primis amplectitur, qua duce ad beatitudinem munditiei peruenimus, inquiens, MANVS TVAE, non quòd (secundum quosdam) uerbum & spiritus, Dei manus sint: uel quòd Deus manus habeat, immo potius ut per metaphoricas uoces has

Dei potentiam, atq; rerum particularium prouidentiam narret. quasi his uerbis dicat, non solum Adamum tu creasti, sed omnem hominem in hunc mundum uenientem, ex quibus ego unus sum. Tu nanq; dixisti, Crescite, multiplicamini, & replete terram, quo fit ut omnis homo, qui uirtute uerborum horum generatur, opus manuum tuarum sit. FECERVNT ME, animam quoq; ex nihilo creando, quemadmodum scriptum est, Omnem flatum ego feci. ET PLASMAVERVNT ME, à plasma, quod opus figulinum est: quasi figuli instar, qui de terra uasa componit, eius corpus fecerit, sicut alibi legimus, Fecit hominem ex puluere terræ, ad illum sanè modum loquens, secundum quem Iob dixit, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: nunc autem sic repente præcipitas me? Memento domine quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. quidnam expectas hoc opus manuũ tuarum saluare? Quod studiosius (secundũ Augustinũ et Glossam) creasti, inquiẽs: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; haudquaquam in Angelorum, uel aliorum creatione uerba isthæc repetendo, DA igitur MIHI INTELLECTVM, donum, quod in nobis, qui uelatos oculos habemus, principium scientiarum est, siquidem illo perpetuò in maiori gradu egemus, donec ex dono intellectus, quod est, in beatitudinem munditiei, quæ dono intellectus correspondet, transeat; & hoc quare? VT, omni pauore excluso, te primorum principiorum principio animam meam illuminante, DISCAM, non solum intelligendo, uerum etiam opere custodiendo MANDATA TVA. Atqui dices, num tibi naturam rationalem Deus non dedit? Ipse uerò rursum respondebit, Minimè sufficit id quod natura præstat, nisi à redemptore id recipiam, quod Adami peccato perdidi. Sic enim intellectus naturæ datus, deinde uerò per peccatum deformatus (uti Augustinus & Glossa sentiunt) quotidie renouatur. Da igitur rursum mi domine, ut per dona fortitudinis, longanimitatis & patientiæ percurrens, beatitudine sitis iustitiæ, quæ his donis respondet, in medio passionum fruar.

2 ¶ QVI TIMENT TE, VIDEBVNT ME, ET LAETABVNTVR, QVIA IN VERBIS TVIS SVPERSPERAVI. *sunt qui putant Ecclesiam loqui, quæ semper timore plena est, atq; labore. uel Prophetam de illis sensisse, qui lætabuntur in sanguine iustorum. sed aliud hic Propheta narrare optat: nempe alteram causam proponere, ob quam ipsum exaudire miserenti Deo conueniat, nimirum ut ex hoc quod secum fiet, alij lætentur, inquiens:* QVI TIMENT TE, *timore filiali, aut saltem initiali, membra nimirum corporis ecclesiæ tuæ,* VIDEBVNT ME, *passum, pœnitentiam agentem, & sola gratia tua absq; auxilio humano liberatum.* ET LÆTABVNTVR; *tum propter me; tum etiam propter seipsos; cum meæ tribulationis finem ad salutem fuisse uidebunt. Nam inter causas, ob quas tentationes hæ extrinsecus immittuntur, hæc etiam una est, ut adstantibus quoq;, qui adiutoria Dei conspiciunt, ad id ipsum sperandum prosint, eodem Dauide teste, cum alibi ait: Tu uenis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine domini exercituum: & dabit te dominus in manum meam; ut sciat omnis terra, quia est dominus Israel, & nouerit uniuersa ecclesia, quia non in gladio nec in hasta saluat dominus. Expendent nanq;, nulla alia ratione me saluum factum esse, nisi* QVIA IN VERBIS TVIS, *non solum in persecutione Saulis, sed etiam in persecutione ista Absalonis* SVPERSPERAVI. *sic enim ecclesia, quæ semper patitur, lætatur in lætitia gentis suæ, dicens: Benedictus Dominus, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus quod adhuc eripiet.*

3 ¶ COGNOVI DOMINE QVIA AEQVITAS IVDICIA TVA: ET IN VERITATE TVA HVMILIASTI ME. *Autumant quidam, de Adami desolatione, à qua nostra processit, Prophetam hic loqui: sed contrarium uerba ostendunt, dum ait, Humiliasti me: quandoquidem si aliud sensisset, dixisset utiq;, humiliasti hominem. Sunt & alij, quibus placuit Prophe-*

tam pro omnibus membris ecclesiæ uerba hæc dixisse. Quod mihi ea ratione non placet, quia etsi res sibi consueta sit sæpe ecclesiæ uice loqui; minimè tamen ubi litera propriè stare potest, impropriè sumenda est. Tria nanq; in persecutione Saulis Propheta cognouit: ueritatem nimirum, propriam humilitatē, & iudicia domini, de quibus nunc agere intendit, inquiens, COGNOVI DOMINE *in persecutione Saulis;* QVIA ÆQVITAS IVDICIA TVA, *quibus nos affligi iubes. siquidē eam ob causam tribulationes immittis, ut præuio rigore, quo nos corripis, ad bonum statum animas deinde adducas. Et idcirco in ueritate tua, id est rigore iustitiæ, cuius pars ueritas est: non tamen ut in solo rigore consisteret, sed secundum eloquium tuum, cum dixisti, visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in ueritate mea,* HVMILIASTI ME, *tum corpus, tum animam humiliando, ut humiliatum me deinde liberares: liberatus autem beatam uitam hic spe ducerem; donec re illam post mortem assequar, quid præter hæc regius iste pastor suam desolationem ostendens ad Dei laudem secundum literæ Iod significationem confiteri potuit?*

4 ¶ FIAT MISERICORDIA TVA, VT CONSOLETVR ME, SECVNDVM ELOQVIVM TVVM SERVO TVO. *Quæ quidem uox* FIAT, *orantis, non imperantis est, illo planè modo, quo in oratione dominica dicimus, Fiat uoluntas tua, & alibi, Veniant miserationes tuæ. Confundantur superbi, & id genus reliqua, quasi dicat, si iudicia tua, æquitas & misericordia sunt, prout in præcedenti uersu patet: fiat hæc* MISERICORDIA TVA, *id est desolatio hæc mea, quæ misericordia tua est,* VT, *secundum magnam misericordiam tuam* CONSOLETVR ME. *hoc enim in finem ipsa beatitudo luctus præstare solet, domino dicente, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* SECVNDVM ELOQVIVM TVVM. *in præcedenti uersu enarratum* SERVO TVO, *Dauid*

di promissum: uerberare nimirum, sed non nocere: immo potius, ut facias ex tentatione prouentum.

5 ¶ VENIANT MIHI MISERATIONES TVAE, ET VIVAM: QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST. Dixerat suprà in singulari, fiat misericordia tua, ut consoletur me: nunc uerò dicit: VENIANT MIHI MISERATIONES TVÆ, in plurali: & hoc quidem ut primam miserationem tribulationis immissæ, de qua paulò ante egerat, secunda misericordia liberationis temporalis sequatur: secundam uerò tertia, scilicet uitæ æternæ: qua spe in uia quoq; imperfecte tamen fruimur, causamq; spei huius, ut sic quæ petit fiant, subiungit, QVIA LEX TVA, uera & fidelis, MEDITATIO MEA EST, hoc est, exercitatio mea est, ut interea dum illi me uerberando corpus exercent, ego animam, contemplando legem, perpetuò tecum exerceam. In ea equidem perspicuè uideo quanta adiutoria, quanta gaudia, quanta'ue unguenta sustinentibus uulnera oblatæ crucis porrigis, ita quidem, ut nemo, qui in te sperauit, hactenus confusus fuerit.

6 ¶ CONFVNDANTVR SVPERBI, QVIA INIVSTE INIQVITATEM FECERVNT IN ME: EGO AVTEM EXERCEBOR IN MANDATIS TVIS. Inter cæteras causas, ob quas electi affliguntur, una est, ut Satan eiusq; filij proprias uires expendant, quod absq; Dei uoluntate minimè nos affligere possint, ac proinde confundantur: Confundantur item confusione æterna: ut tribulati quidem misericordiam consequantur, tribulantes uerò Dei indignationem & iram: eo modo quo alibi dixit, Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescã: ne irrideant me inimici mei, etenim uniuersi qui sustinent te, non confundentur, confundantur omnes iniqua agentes superuacue. Est enim una de causis, propter quas Deus minus quàm deceat, nos affligi permittit, ne dicant, Manus nostra hæc fecit, unde sequitur, CON-

FVNDANTVR SVPERBI, *tum dæmones, tum illorum filij obstinati: non modò cōfusione temporali, cum post exercitiū meum in uanum me tentasse uiderint; sed etiam confusione æterna propter propria peccata eorum, in quibus obstinati uiuunt;* QVI INIVSTE INIQVITATES FE-CERVNT IN ME. *Sed quid est iniustè iniquitatem facere? Impiorum certè mos est, non solum maxima cum iniquitate, & contra legis re-ctitudinem, inuidia moti, iustos inauditos condemnare, uerum etiam contra ritum nullo legitimo confecto processu, uel ubi adest, haudqua-quam illum percontantes iudicare,* EGO AVTEM *iniuste persecutus, quia in te speraui, non solum non confundar, uerum etiam de die in diē magis ac magis* EXERCEBOR *in hac noua tribulatione, quæ nunc of-fertur,* IN MANDATIS TVIS, *quæ loco disciplinæ mihi erunt, boni-tatem ac magnitudinem tuam palàm omnibus prædicando.*

7 ¶ CONVERTANTVR MIHI TIMENTES TE, ET QVI NOVERVNT TESTIMONIA TVA.

Placuit Augustino & Glossæ, Prophetam Christum hic inducere, qui dicat: CONVERTANTVR MIHI, *id est ad me. Pleriq; autem Daui-dem hic loqui autumant, ut iusti ei auxilientur. Alij uerò, ut ipso er-rante, iusti ipsum cōuertant. Nec desunt, qui dicant pro gentilium con-uersione hic orasse. Sed nos Cardinalem sequamur, qui sic ait: Conuer-tantur mihi, id est exemplo meo: quasi idem Propheta, qui suprà pro fidelibus dixerat: Qui timent te, uidebunt me, & lætabuntur, quia in uerbis tuis supersperaui: hoc in loco Deum obsecrans dicat, Age mi domine, ut ex ijs, quæ bonitatem tuam in me fecisse uiderint, conuer-tantur & ipsi: & uox, mihi, interpretetur, id est à me exemplum su-mendo. At si ei dicatur, Qui isti sunt pro quibus oras? respondet, ut gentiles* TIMENTES TE, *timore seruili, ad fidem conuertantur, & pœniteant, illis hærendo, qui tenent pro gentilium conuersione illum orauisse. Verius tamen dicemus, de timore fidelium agere, sicut sub-iungit:* ET QVI NOVERVNT TESTIMONIA TVA, *in fide ui-*

uentes, absq; qua ad te accedere non possunt: quasi dicat: Conuertantur mihi timentes te, ut ipsi quoq; patienter, si quos cruciatus illis obtuleris, eandem beatitudinem obtineant, quem in modum confessio mea ad laudem tuam re ipsa fiat, desolatioq; mea desolationi aliorum prosit.

8 ¶ FIAT COR MEVM IMMACVLATVM IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS, VT NON CONFVNDAR. Quoniam nouerat Dauid se minimè tunc Vriæ mortem Bethsabeæq; adulterium cogitasse, quando Natham hæc illi nunciauit: ne aliquid nunc quoque lateat: ob quod munditiem cordis non assequatur, quam ipse pro scopo habet, perpetuò gratiam perseuerantiæ usque in finem petens subiungit: FIAT COR MEVM IMMACVLATVM, iuxta illud quod Propheta orauit, quãdo petens se à pœna liberari, dixit: Cor mundum crea in me Deus, per aduentum beatitudinis munditiei cordis, ad quam per beatitudinem luctus animam præparasti, IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS: quæ saltem pœnitendo omnes cordis maculas ultra niuem dealbant. Expende Lutherane haudquaquam simpliciter iustificatũ Prophetam dixisse, Mihi maculato peccata ne imputes, sed fiat prius à te cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, quæ nil aliud sunt q̃ opera nostra fidelia gratia Dei in iustitia facta, quæ talia esse possunt, ut pœnæ quoq; remissionem in uia hac obtineamus, & cor sic in uia mundetur, ut nullo egeat purgatorio: non secus ac si dicat, Age mi domine tu qui principium omnium scientiarum es, ut inter illos connumerari queam, pro quibus alibi scriptura dixit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Postea uerò subiunxit: VT NON CONFVNDAR, neq; in ipsa tribulatione, neq; in die mortis, iuxta illud, In die mala non timebunt: immò potius ut hunc in modum omnem desolationem, in qua sum, euadam, & uitam æternam consequar. Ex quibus collige tu lector, quàm male faciant hi, qui dum persecutiones adueniunt, uel tacent, uel desperant; minimè Prophetam hunc immitantes, qui tam in persecutione Saulis, q̃ Absalo-

nis, priusquam pati inciperet, oratione omnia à miserente Deo sic obtinuit, ut quæ prius dona erant Spiritus sancti, in beatitudines transiuerint, quas Propheta in hoc octonario, unam munditiei cordis exprimendo enarrat: docens nos perfectam charitatem supra quam beatitudines ædificantur, omnem timorem, atque pauorem foras mittere. hoc enim in præcedenti octonario poposcerat, quippe ut donum sapientiæ in eius animam infunderet, nunc uerò ut in beatitudinem transeat. Orent igitur, qui persecutiones patiuntur, quoniam Deus eodem tempore, quo affligi peccatorem à Satana & membris suis iussit, oratione præuia ipsum liberare constituit, quando diffisus de proprijs uiribus, misericordiam à Deo omnium scientiarum principio petit, propriam desolationem ore cum Propheta confitens, in qua propter propria peccata iustè manet. Obseruent præterea hi, qui uitæ contemplatiuæ operam nauant, non breui cruciatu, sed longo dona in beatitudines conuerti. Dixerim hæc, ne Deum de tardo adiutorio, uel mala prouidentia mente uagi aliquando arguant, quemadmodum Dauid in sequenti octonario, breui tamen tempore acclamabit: sed memores sint Deum dixisse: Tempore accepto liberaui te.

VNDECIMVS OCTONARIVS.

CAPH כ

Latinè secundum Ambrosium curuatus.
Secundum Hieronymum Manus.

DVÆ in hac litera, quam Latini uertunt curuatus, difficultates oriuntur: altera, quisnam fuerit homo iste curuatus: altera, cur fuerit curuatus. Quod ad primam attinet, ecclesiam curuatam fuisse aliqui dicunt. sed hoc defendi non potest, quando multa hic narrantur, quæ ecclesiæ nequaquam conuenire possunt, quemadmodum paulò post dicemus. Quibusdam autem placuit, ut postquam

in quinq; octonarijs actiuam uitam percurrerat, uitam contemplatiuam hic ingrediatur, in quo ualde errarunt, eò quod (ut uidistis) longe ante Propheta de contemplatiua uita egit: Alij uerò consueto errore ducti, peregrinum hominem hic loqui fingunt. Rectius tamen dicemus Dauidem esse: qui postquam omni cum humilitate propriam desolationē in præcedenti octonario narrasset, pondere afflictionum curuatus (sicut alibi dixerat, Miser factus sum & curuatus sum usq; in finem) conspiciens longissimas persecutiones suas, quibus in dies grauius curuabatur, uagus mente cum Deo nunc loquitur, ostendens nobis haudquaquam inconuenire, ut sanctitate retenta, euagationes quasdam mentis patiamur, quibus absq; peccato mortali, etiam ipsi Deo absque rationis determinato consensu irascamur; ipse uerò humanæ fragilitati indulgens, gratia sua comite eas nos expellere præstet, sicut Iobis uita testatur, ac re ipsa experiuntur hi, qui longas persecutiones sustinent. Diuiditur in partes duas: in quarum prima, usq; ad uersum, Narrauerunt, mente uagus conqueritur de tardo adiutorio Dei. In secunda ad se conuersus, præteritorum pœnitet: & uigorem in futurum petit, ut legem indiuiduam seruare possit.

Caph 1 ¶ DEFECIT IN SALVTARE TVVM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

Caph 2 DEFECERVNT OCVLI MEI IN ELOQVIVM TVVM, DICENTES: QVANDO CONSOLABERIS ME?

Caph 3 QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA: IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

Caph 4 QVOT SVNT DIES SERVI TVI? QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM?

Caph 5 NARRAVERVNT MIHI INIQVI FA-
BVLATIONES: SED NON VT LEX
TVA.

Caph 6 OMNIA MANDATA TVA VERITAS:
INIQVI PERSECVTI SVNT ME: AD-
IVVA ME.

Caph 7 PAVLO MINVS CONSVMMAVERVNT
ME IN TERRA: EGO AVTEM NON
DERELIQVI MANDATA TVA.

Caph 8 SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM
VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM
TESTIMONIA ORIS TVI.

1 ¶ DEFECIT IN SALVTARE TVVM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI. *Quoniam tot talesq; sunt Satanæ tentationes, ut mente quandoq; sancti uiri incipiant uagari: hinc minimè admiraberis si cum Eliseo plerunq; dicant: Ecce tantum malum à domino est: quid amplius expectabo? uel cum Elia: Tolle animam meam, quandoquidem non sum melior q̃ omnes patres mei. Vel cum Sara Thobiæ, Peto domine ut de uinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. idq; genus multa, quæ haudquaquam amore (ut quidam sentiunt) sed ob dolorem sancti uiri loquuntur: quemadmodum integer Iobis liber nobis commonstrat. Ille idem sanè Propheta est, qui curuatus iam dixerat: Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animã meam: proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nunc uerò diu domine expectaui adiutorium tuum, sustinens onera, quæ imposuisti super dorsum meum; & non solum incuruata est, uerum etiam* DEFECIT ANIMA MEA. *quasi annosæ senectutis instar defecerit, quæ animam à carne in uita quodãmodo segregat, desiderium magnum boni non adepti*

patefaciens, quod diu expectauit. At dices, in quo defecit? in expe-ctando SALVTARE TVVM, Christum. ET IN VERBVM TVVM, à te promissum, uidelicet me per Christum uerbum tuum, non solum à morte perpetua, uerum etiam ab hac temporali liberatum iri. in his certè SVPERSPERAVI. quasi non semel, sed sæpe sperauerit: quem-admodum in præcedentibus octonarijs uidisti: sed eò tandem uenit, ut sperando anima affligeretur: siquidem scriptum est, spes quæ differ-tur, animam affligit. Hic uerus literæ sensus: super quo ubi contem-plari placuerit, quòd in hoc uersu Satanæ regnum destrui, ac fomitem per aduentum Christi debilitari orauerit, ut deinde ob durissimos sa-tanæ & filiorum suorum cruciatus, deinceps mente uagus amplius de tardo Dei adiutorio non conquereretur, non est improbanda contem-platio ista, sicut nec & alij allegorici sensus; siquidem multos sensus eandem literam scripturæ continere posse, haudquaquam negamus.

2 ¶ DEFECERVNT OCVLI MEI IN ELOQVIVM TVVM, DICENTES: QVANDO CONSOLA-BERIS ME? Putant plerique Prophetam hoc locò mentis oculis orasse: tu autem dic eum mente uagum sic dixisse, non modò crucia-tus sum, sed adeò longa fuit tribulatio hæc, ut mecum consenuerit: & cum remedium quærerem in lege tua, qua uia quiescere aliquantulum possem, anteq̄ abeam, & amplius non ero: nullum mihi superesse præ-sidium præter Messiæ aduentū intellexi; atq; hinc ut eripi à tot ærum-nis possem, sic eum toto corde exquisiui, ꝙ DEFECERVNT OCVLI MEI, tum cordis, qui tecum gementes loquebantur, tum etiam corpo-ris, dum lachrymis pleni legem scrutabantur, sperantes IN ELO-QVIVM TVVM, Christum: eloquium item, id est legem tuam eloquio Christi filij tui promulgatam, eloquium præterea tuum ore Propheta-rum prædicatum, te per Christum omne mihi adiutorium præstaturum: ita ut simul uox hæc pro eloquio, id est uerbo incarnato Christo con-tento in lege stet, per quem ab omnibus liberamur: & pro ipsa lege,

quæ

quæ eloquium Dei est, ubi hæc continentur, DICENTES, quasi signis ipsi oculi locuti sint, interea dum loquendi seu rectè contemplandi locus amplius non dabatur. Sed quid oculi tui sub hac metaphora dicebant? hoc quidem dicere cupiebant, QVANDO, secundum eloquium tuum, cui ego credidi, CONSOLABERIS ME? quasi dicat, Erit'ne adiutorium hoc in alio seculo? Adeò certè laboraui, ut curuatus sim, & raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum; tu uerò quando consolaberis me? Ira nanq; ipsum impediebat ne aduerteret Deum dixisse, Tempore accepto liberaui te, quod non mirum. Siquidem in magna tribulatione Babiloniæ, Coræ filij; qui fidem conseruasse profitebantur, uagi mente dixerunt: Si obliti sumus nomen Dei nostri, si expandimus manus nostras ad deos alienos: non'ne Deus requiret ista? Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finē. Quare faciem tuam auertis? Obliuisceris inopiæ nostræ? quoniam humiliata est in puluere anima nostra; cōglutinatus est in terra uenter noster. Moses præterea, Vsquequo peccatores gloriabuntur? Populum tuum domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam uexauerunt, ac reliqua, quæ ibidem continentur. Et alio in loco idem Propheta cum de aduentu Christi minimè dubitaret, sed de tarditate eius adiutorij conquereretur, dixit: Vsquequo domine obliuisceris me in finem? Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per noctem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quare non respicis ad iniquas gentes? Abacuh quoq;, Taces deuorante impio iustiorem se, & facis hominem quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem, totum congregauit super rete suum, & semper interficere gentes non cessat. Quare uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & impie agunt? Vsquequo lugebit terra? Hieremias exclamat. Sic quoq; & alij sancti uiri diem in quo nati sunt, maledixerunt: & Israelitæ ira commoti palàm dicebant, cum hominibus non affligentur, & in labore hominum non sunt, quasi iustitia aranea

2 ¶ QVI TIMENT TE, VIDEBVNT ME, ET LAETABVNTVR, QVIA IN VERBIS TVIS SVPERSPERAVI. *sunt qui putant Ecclesiam loqui, quæ semper timore plena est, atq; labore. uel Prophetam de illis sensisse, qui lætabuntur in sanguine iustorum: sed aliud hic Propheta narrare optat: nempe alteram causam proponere, ob quam ipsum exaudire miserenti Deo conueniat, nimirum ut ex hoc quod secum fiet, alij lætentur, inquiens:* QVI TIMENT TE, *timore filiali, aut saltem initiali, membra nimirum corporis ecclesiæ tuæ,* VIDEBVNT ME, *passum, pœnitentiam agentem, & sola gratia tua absq; auxilio humano liberatum.* ET LÆTABVNTVR; *tum propter me; tum etiam propter seipsos; cum meæ tribulationis finem ad salutem fuisse uidebunt. Nam inter causas, ob quas tentationes hæ extrinsecus immittuntur, hæc etiam una est, ut adstantibus quoq;, qui adiutoria Dei conspiciunt, ad id ipsum sperandum prosint, eodem Dauide teste, cum alibi ait: Tu uenis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine domini exercituum: & dabit te dominus in manum meam; ut sciat omnis terra, quia est dominus Israel, & nouerit uniuersa ecclesia, quia non in gladio nec in hasta saluat dominus. Expendent nanq;, nulla alia ratione me saluum factum esse, nisi* QVIA IN VERBIS TVIS, *non solum in persecutione Saulis, sed etiam in persecutione ista Absalonis* SVPERSPERAVI. *sic enim ecclesia, quæ semper patitur, lætatur in lætitia gentis suæ, dicens: Benedictus Dominus, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus quod adhuc eripiet.*

3 ¶ COGNOVI DOMINE QVIA AEQVITAS IVDICIA TVA: ET IN VERITATE TVA HVMILIASTI ME. *Autumant quidam, de Adami desolatione, à qua nostra processit, Prophetam hic loqui: sed contrarium uerba ostendunt, dum ait, Humiliasti me: quandoquidem si aliud sensisset, dixisset utiq;, humiliasti hominem. Sunt & alij, quibus placuit Prophetam*

tam pro omnibus membris ecclesiæ uerba hæc dixisse. Quod mihi ea ratione non placet, quia etsi res sibi consueta sit sæpe ecclesiæ uice loqui; minimè tamen ubi litera propriè stare potest, impropriè sumenda est. Tria nanq; in persecutione Saulis Propheta cognouit: ueritatem nimirum, propriam humilitatē, & iudicia domini, de quibus nunc agere intendit, inquiens, COGNOVI DOMINE in persecutione Saulis; QVIA ÆQVITAS IVDICIA TVA, quibus nos affligi iubes. siquidē eam ob causam tribulationes immittis, ut præuio rigore, quo nos corripis, ad bonum statum animas deinde adducas. Et idcirco in ueritate tua, id est rigore iustitiæ, cuius pars ueritas est: non tamen ut in solo rigore consisteret, sed secundum eloquium tuum, cum dixisti, Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in ueritate mea, HVMILIASTI ME, tum corpus, tum animam humiliando, ut humiliatum me deinde liberares: liberatus autem beatam uitam hic spe ducerem, donec re illam post mortem assequar, quid præter hæc regius iste pastor suam desolationem ostendens ad Dei laudem secundum literæ iod significationem confiteri potuit?

4 ¶ FIAT MISERICORDIA TVA, VT CONSOLETVR ME, SECVNDVM ELOQVIVM TVVM SERVO TVO. Quæ quidem uox FIAT, orantis, non imperantis est, illo planè modo, quo in oratione dominica dicimus, Fiat uoluntas tua, & alibi, Veniant miserationes tuæ. Confundantur superbi, & id genus reliqua, quasi dicat, si iudicia tua, æquitas & misericordia sunt, prout in præcedenti uersu patet: fiat hæc MISERICORDIA TVA, id est desolatio hæc mea, quæ misericordia tua est, VT, secundum magnam misericordiam tuam CONSOLETVR ME. hoc enim in finem ipsa beatitudo luctus præstare solet, domino dicente, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. SECVNDVM ELOQVIVM TVVM. in præcedenti uersu enarratum SERVO TVO, Daui-

di promissum: uerberare nimirum, sed non nocere: immo potius, ut facias ex tentatione prouentum.

5 ¶ VENIANT MIHI MISERATIONES TVAE, ET VIVAM: QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST. Dixerat suprà in singulari, fiat misericordia tua, ut consoletur me: nunc uerò dicit: VENIANT MIHI MISERATIONES TVÆ, in plurali: & hoc quidem ut primam miserationem tribulationis immissæ, de qua paulò ante egerat, secunda misericordia liberationis temporalis sequatur: secundam uerò tertia, scilicet uitæ æternæ: qua spe in uia quoq; imperfectè tamen fruimur, causamq; spei huius, ut sic quæ petit fiant, subiungit, QVIA LEX TVA, uera & fidelis, MEDITATIO MEA EST, hoc est, exercitatio mea est, ut interea dum illi me uerberando corpus exercent, egò animam, contemplando legem, perpetuò tecum exerceam. In ea equidem perspicuè uideo quanta adiutoria, quanta gaudia, quanta'ue unguenta sustinentibus uulnera oblatæ crucis porrigis, ita quidem, ut nemo, qui in te sperauit, hactenus confusus fuerit.

6 ¶ CONFVNDANTVR SVPERBI, QVIA INIVSTE INIQVITATEM FECERVNT IN ME: EGO AVTEM EXERCEBOR IN MANDATIS TVIS. Inter cæteras causas, ob quas electi affliguntur, una est, ut Satan eiusq; filij proprias uires expendant, quòd absq; Dei uoluntate minimè nos affligere possint, ac proinde confundantur: Confundantur item confusione æterna: ut tribulati quidem misericordiam consequantur, tribulantes uerò Dei indignationem & iram: eo modo quo alibi dixit, Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescã: ne irrideant me inimici mei, etenim uniuersi qui sustinent te, non confundentur, confundantur omnes iniqua agentes superuacue. Est enim una de causis, propter quas Deus minus quàm deceat, nos affligi permittit, ne dicant, Manus nostra hæc fecit, unde sequitur, CON-

FVNDANTVR SVPERBI, *tum dæmones, tum illorum filij obstinati: non modò cõfusione temporali, cum post exercitiũ meum in uanum me tentasse uiderint; sed etiam confusione æterna propter propria peccata eorum, in quibus obstinati uiuunt;* QVI INIVSTE INIQVITATES FECERVNT IN ME. *Sed quid est iniustè iniquitatem facere? Impiorum certè mos est, non solum maxima cum iniquitate, & contra legis rectitudinem, inuidia moti, iustos inauditos condemnare, uerum etiam contra ritum nullo legitimo confecto processu, uel ubi adest, haudquaquam illum percontantes iudicare,* EGO AVTEM *iniuste persecutus, quia in te speraui, non solum non confundar, uerum etiam de die in diẽ magis ac magis* EXERCEBOR *in hac noua tribulatione, quæ nunc offertur,* IN MANDATIS TVIS, *quæ loco disciplinæ mihi erunt, bonitatem ac magnitudinem tuam palàm omnibus prædicando.*

7 ¶ CONVERTANTVR MIHI TIMENTES TE; ET QVI NOVERVNT TESTIMONIA TVA.

Placuit Augustino & Glossæ, Prophetam Christum hic inducere, qui dicat: CONVERTANTVR MIHI, *id est ad me. Pleriq; autem Dauidem hic loqui autumant, ut iusti ei auxilientur. Alij uerò, ut ipso errante, iusti ipsum cõuertant. Nec desunt, qui dicant pro gentilium conuersione hic orasse. Sed nos Cardinalem sequamur, qui sic ait: Conuertantur mihi, id est exemplo meo: quasi idem Propheta, qui suprà pro fidelibus dixerat: Qui timent te, uidebunt me, & lætabuntur, quia in uerbis tuis superspéraui: hoc in loco Deum obsecrans dicat, Age mi domine, ut ex ijs, quæ bonitatem tuam in me fecisse uiderint, conuertantur & ipsi: & uox, mihi, interpretetur, id est à me exemplum sumendo. At si ei dicatur, Qui isti sunt pro quibus oras? respondet, ut gentiles* TIMENTES TE, *timore seruili, ad fidem conuertantur, & pœniteant, illis hærendo, qui tenent pro gentilium conuersione illum orauisse. Verius tamen dicemus, de timore fidelium agere, sicut subiungit:* ET QVI NOVERVNT TESTIMONIA TVA, *in fide ui-*

uentes, absq; qua ad te accedere non possunt: quasi dicat: Conuertantur mihi timentes te, ut ipsi quoq; patienter, si quos cruciatus illis obtuleris, eandem beatitudinem obtineant, quem in modum confessio mea ad laudem tuam re ipsa fiat, desolatioq; mea desolationi aliorum prosit.

8 ¶ FIAT COR MEVM IMMACVLATVM IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS, VT NON CONFVNDAR. Quoniam nouerat Dauid se minimè tunc Vriæ mortem Bethsabeæq; adulterium cogitasse, quando Natham hæc illi nunciauit: ne aliquid nunc quoque lateat: ob quod munditiem cordis non assequatur, quam ipse pro scopo habet, perpetuò gratiam perseuerantiæ usque in finem petens subiungit: FIAT COR MEVM IMMACVLATVM, iuxta illud quod Propheta orauit, quãdo petens se à pœna liberari, dixit: Cor mundum crea in me Deus, per aduentum beatitudinis munditiei cordis, ad quam per beatitudinem luctus animam præparasti, IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS, quæ saltem pœnitendo omnes cordis maculas ultra niuem dealbant. Expende Lutherane haudquaquam simpliciter iustificatũ Prophetam dixisse, Mihi maculato peccata ne imputes, sed fiat prius à te cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, quæ nil aliud sunt q̃ opera nostra fidelia gratia Dei in iustitia facta, quæ talia esse possunt, ut pœnæ quoq; remissionem in uia hac obtineamus, & cor sic in uia mundetur, ut nullo egeat purgatorio: non secus ac si dicat, Age mi domine tu qui principium omnium scientiarum es, ut inter illos connumerari queam, pro quibus alibi scriptura dixit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Postea uerò subiunxit: VT NON CONFVNDAR, neq; in ipsa tribulatione, neq; in die mortis, iuxta illud, In die mala non timebunt: immò potius ut hunc in modum omnem desolationem, in qua sum, euadam, & uitam æternam consequar. Ex quibus collige tu lector, quàm male faciant hi, qui dum persecutiones adueniunt, uel tacent, uel desperant, minimè Prophetam hunc immitantes, qui tam in persecutione Saulis, q̃ Absalo-

nis, priusquam pati inciperet, oratione omnia à miserente Deo sic obtinuit, ut quæ prius dona erant Spiritus sancti, in beatitudines transiuerint, quas Propheta in hoc octonario, unam munditiei cordis exprimendo enarrat: docens nos perfectam charitatem supra quam beatitudines ædificantur, omnem timorem, atque pauorem foras mittere. hoc enim in præcedenti octonario popoſcerat, quippe ut donum sapientiæ in eius animam infunderet, nunc uerò ut in beatitudinem transeat. Orent igitur, qui persecutiones patiuntur, quoniam Deus eodem tempore, quo affligi peccatorem à Satana & membris suis iussit, oratione præuia ipsum liberare constituit, quando diffisus de proprijs uiribus, misericordiam à Deo omnium scientiarum principio petit, propriam desolationem ore cum Propheta confitens, in qua propter propria peccata iustè manet. Obseruent præterea hi, qui uitæ contemplatiuæ operam nauat, non breui cruciatu, sed longo dona in beatitudines conuerti. Dixerim hæc, ne Deum de tardo adiutorio, uel mala prouidentia mente uagi aliquando arguant, quemadmodum Dauid in sequenti octonario, breui tamen tempore acclamabit: sed memores sint Deum dixisse: Tempore accepto liberaui te.

VNDECIMVS OCTONARIVS.

ℭ CAPH כ

Latinè secundum Ambrosium curuatus.
Secundum Hieronymum Manus.

DVÆ in hac litera, quam Latini uertunt curuatus, difficultates oriuntur: altera, quisnam fuerit homo iste curuatus: altera, cur fuerit curuatus. Quod ad primam attinet, ecclesiam curuatam fuisse aliqui dicunt. sed hoc defendi non potest, quando multa hic narrantur, quæ ecclesiæ nequaquam conuenire possunt, quemadmodum paulò post dicemus. Quibusdam autem placuit, ut postquam

in quinq; octonarijs actiuam uitam percurrerat, uitam contemplatiuam hic ingrediatur, in quo ualde errarunt, eò ꝙ (ut uidistis) longe antea Propheta de contemplatiua uita egit: Alij uerò consueto errore ducti, peregrinum hominem hic loqui fingunt. Rectius tamen dicemus Dauidem esse: qui postquam omni cum humilitate propriam desolationẽ in præcedenti octonario narrasset, pondere afflictionum curuatus (sicut alibi dixerat, Miser factus sum & curuatus sum usq; in finem) conspiciens longissimas persecutiones suas, quibus in dies grauius curuabatur, uagus mente cum Deo nunc loquitur, ostendens nobis haudquaquam inconuenire, ut sanctitate retenta, euagationes quasdam mentis patiamur, quibus absq; peccato mortali, etiam ipsi Deo absque rationis determinato consensu irascamur; ipse uerò humanæ fragilitati indulgens, gratia sua comite eas nos expellere præstet, sicut Iobis uita testatur, ac re ipsa experiuntur hi, qui longas persecutiones sustinent. Diuiditur in partes duas: in quarum prima, usq; ad uersum, Narrauerunt, mente uagus conqueritur de tardo adiutorio Dei. In secunda ad se conuersus, præteritorum pœnitet: & uigorem in futurum petit, ut legem indiuiduam seruare possit.

Caph 1 ¶ DEFECIT IN SALVTARE TVVM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

Caph 2 DEFECERVNT OCVLI MEI IN ELOQVIVM TVVM, DICENTES: QVANDO CONSOLABERIS ME?

Caph 3 QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA: IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

Caph 4 QVOT SVNT DIES SERVI TVI? QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM?

Caph 5 NARRAVERVNT MIHI INIQVI FABVLATIONES: SED NON VT LEX TVA.

Caph 6 OMNIA MANDATA TVA VERITAS: INIQVI PERSECVTI SVNT ME: ADIVVA ME.

Caph 7 PAVLO MINVS CONSVMMAVERVNT ME IN TERRA: EGO AVTEM NON DERELIQVI MANDATA TVA.

Caph 8 SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM TESTIMONIA ORIS TVI.

1 ¶ DEFECIT IN SALVTARE TVVM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI. *Quoniam tot talesq; sunt Satanæ tentationes, ut mente quandoq; sancti uiri incipiant uagari: hinc minimè admiraberis si cum Eliseo plerunq; dicant: Ecce tantum malum à domino est: quid amplius expectabo? uel cum Elia: Tolle animam meam, quandoquidem non sum melior q; omnes patres mei. Vel cum Sara Thobiæ, Peto domine ut de uinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. idq; genus multa, quæ haudquaquam amore (ut quidam sentiunt) sed ob dolorem sancti uiri loquuntur: quemadmodum integer Iobis liber nobis commonstrat. Ille idem sanè Propheta est, qui curuatus iam dixerat: Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animã meam: proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nunc uerò diu domine expectaui adiutorium tuum, sustinens onera, quæ imposuisti super dorsum meum; & non solum incuruata est, uerum etiam* DEFECIT ANIMA MEA. *quasi annosæ senectutis instar defecerit, quæ animam à carne in uita quodãmodo segregat, desiderium magnum boni non adepti*

patefaciens, quod diu expectauit. At dices, in quo defecit? in expectando SALVTARE TVVM, *Christum.* ET IN VERBVM TVVM, *à te promissum, uidelicet me per Christum uerbum tuum, non solum à morte perpetua, uerum etiam ab hac temporali liberatum iri. in his certè* SVPERSPERAVI. *quasi non semel, sed sæpe sperauerit: quemadmodum in præcedentibus octonarijs uidisti: sed eò tandem uenit, ut sperando anima affligeretur: siquidem scriptum est, Spes quæ differtur, animam affligit. Hic uerus literæ sensus: super quo ubi contemplari placuerit, quòd in hoc uersu Satanæ regnum destrui, ac fomitem per aduentum Christi debilitari orauerit, ut deinde ob durissimos satanæ & filiorum suorum cruciatus, deinceps mente uagus amplius de tardo Dei adiutorio non conquereretur, non est improbanda contemplatio ista, sicut nec & alij allegorici sensus; siquidem multos sensus eandem literam scripturæ continere posse, haudquaquam negamus.*

2 ¶ DEFECERVNT OCVLI MEI IN ELOQVIVM TVVM, DICENTES: QVANDO CONSOLABERIS ME? *Putant plerique Prophetam hoc loco mentis oculis orasse: tu autem dic eum mente uagum sic dixisse, non modò cruciatus sum, sed adeò longa fuit tribulatio hæc, ut mecum consenuerit: & cum remedium quærerem in lege tua, qua uia quiescere aliquantulum possem, anteq̃ abeam, & amplius non ero: nullum mihi superesse præsidium præter Messiæ aduentũ intellexi; atq; hinc ut eripi à tot ærumnis possem, sic eum toto corde exquisiui, ꝗ* DEFECERVNT OCVLI MEI, *tum cordis, qui tecum gementes loquebantur, tum etiam corporis, dum lachrymis pleni legem scrutabantur, sperantes* IN ELOQVIVM TVVM, *Christum: eloquium item, id est legem tuam eloquio Christi filij tui promulgatam, eloquium præterea tuum ore Prophetarum prædicatum, te per Christum omne mihi adiutorium præstaturum: ita ut simul uox hæc pro eloquio, id est uerbo incarnato Christo contento in lege stet, per quem ab omnibus liberamur; & pro ipsa lege,*

quæ

quæ eloquium Dei est, ubi hæc continentur, DICENTES, quasi signis ipsi oculi locuti sint, interea dum loquendi seu rectè contemplandi locus amplius non dabatur. Sed quid oculi tui sub hac metaphora dicebant? hoc quidem dicere cupiebant, QVANDO, secundum eloquium tuum, cui ego credidi, CONSOLABERIS ME? quasi dicat, Erit ne adiutorium hoc in alio seculo? Adeò certè laboraui, ut curuatus sim, & raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum; tu uerò quando consolaberis me? Ira nanq; ipsum impediebat ne aduerteret Deum dixisse, Tempore accepto liberaui te, quod non mirum. Siquidem in magna tribulatione Babiloniæ, Coræ filij, qui fidem conseruasse profitebantur, uagi mente dixerunt: Si obliti sumus nomen Dei nostri, si expandimus manus nostras ad deos alienos: non'ne Deus requiret ista? Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finē. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ? quoniam humiliata est in puluere anima nostra; cōglutinatus est in terra uenter noster. Moses præterea, Vsquequo peccatores gloriabuntur? Populum tuum domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam uexauerunt, ac reliqua, quæ ibidem continentur. Et alio in loco idem Propheta cum de aduentu Christi minimè dubitaret, sed de tarditate eius adiutorij conquereretur, dixit: Vsquequo domine obliuisceris me in finem? Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per noctem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quare non respicis ad iniquas gentes? Abacuh quoq;, Taces deuorante impio iustiorem se, & facis hominem quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem, totum congregauit super rete suum, & semper interficere gentes non cessat. Quare uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & impie agunt? Vsquequo lugebit terra? Hieremias exclamat. Sic quoq; & alij sancti uiri diem in quo nati sunt, maledixerunt: & Israelitæ ira commoti palàm dicebant, cum hominibus non affligentur, & in labore hominum non sunt, quasi iustitia aranea

tela esset muscis ordinata. Tacebo uerba Iobis, & uxoris suæ, Thobiæ quoque & aliorum, satis esse putans hæc coaceruasse, ut cum uobis lectoribus hæc euenerint, mentis euagationi absq; peccato illa tribuatis: scientes quòd pedibus Christi complexis mox omnia in gaudium conuertentur.

3 ¶ QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA: IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS. Multos sensus ijs uerbis doctores accommodant, qui omnes in se boni sunt; inter quos unus est cui placuit, curuationem carnis propriæ, gratia Dei, quæ tanquam pruina desursum descendens malos affectus carnis reprimit, Prophetam petijsse. Sed literæ ac sensui Prophetæ nequaquam conuenit: quandoquidem Propheta est, qui de tardo Dei adiutorio in præcedenti uersu conquestus est, & ubi pruina è cælo descendißet, gaudium in eius anima potius generasset, & consolatus, non autem consolandus fuißet. Dixerat nanq; in præcedenti uersu, quando consolaberis me? nunc uerò pro ratione subiungit, QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA. Pro quorum uerborum intelligentia, principiò memores esse lectores debent, pruinam coagulationem illam frigidissimam eße, quæ in nocte hyemis tempore cadit, & siqua inuenit, gelu illa sic constringit, ut mortua uideantur. Vtrem uerò, animalis corium esse, quod dum uixit, domino quantum potuit seruiuit; deinde uerò à carne diuisum in calce atque in myrto diu sepultum mansit: ut deniq; filo & acu perforatum, atque in utrem conuersum, adhuc post mortem domino seruiat, non modò tempore tranquillo, uerum etiam in maxima pluuia & tempestate, nocte potissimum, quando cætera quiescunt, & pruina frigidissima plerunq; cadit: nam utris uirtus hæc est, ut non solum pluuiam, sed etiam pruinam, quando musto plenus est, non modò contemnat, sed fortius solidetur. Contrà uerò si semel plenus fuerit, deinde uerò uacuatus sub pruina relinquatur, mox inutilis fiat. Quibus hunc in modum explicatis,

Prophetam mente uagum nunc audiamus dicentem, Dum robustus eram, ante cruciatuum horum aduentum, musto nouo repletus, tanquam uter uigorose die nocteq; tibi toto corde seruiui: sed ecce quò nunc adueni, nam uacuatus musto nouo, id est gratia per Christum facta, quæ me dereliquit, & amplius mecum non est (sicuti uagus mente ipse putabat) utris uacui instar sub pruina relicti penitus inutilis factus sum: ac ob longam acerbamq; persecutionem iam curuatus incedo: itaq; defessus sum, ut oculis nunc tecum loquar: & tamen in hoc statu IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS, quoniam si ob peccata mea ita curuatus sum, pœnitentiæ partes amplector, eorumq; pœnā gratia tua comite pensitare paratus sum. Quid ergo expectas, ut mihi hunc in modum patienti succurras? Quid ultra dicere potuit, ut propriam curuationem secundum literæ proprietatem ostenderet? Paulum certè audire uideor dicentem, Non ego amplius uiuo, uiuit in me Christus, cuius stigmata in corde meo porto, crucifixus sum mundo, utrisq; instar mortua caro mea quanto plus laborat, tanto magis in Christi seruitio roboratur.

4 ¶ QVOT SVNT DIES SERVI TVI? QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM? Placuit quibusdam recentioribus, Dauidem hic de iudicio uocationis in throno crucis facto egisse: per quod se eripi à manu persequentium sperabat. intelligentes uoces has, de persequentibus, id est ut faceret iudicium contra potestates tenebrarum, animam Prophetæ persequentes. Alij uerò dicunt de iudicio ultimo diuisionis sensisse, quando uita contemplatiua consummabitur: & tentationes dæmonum finem habebunt, æternumq; gaudium incipiet. Tu autem considera, Deum non modò promisisse iniustè oppressum eripere, sed etiam iniustè opprimentes iudicare. Rursus nobis uidentibus id fore, quemadmodum per os Mosis declamauit, quando dixit: Verum tamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum uidebis. Quas ambas par-

tes uersus iste continet, nam principio dicit, QVOT SVNT DIES SERVI TVI, ut restituas à leonibus unicam meam? inde uerò pro complemento partis alterius subiungit: QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM? an fortè post mortem meam? accelera ut eruas me. Pastor sanè regius est, qui (secundum Ambrosium) particulare iudicium contra obstinatos superbos præstolabatur: non autem ut ecclesiæ iudicium uniuersale hoc loco expectet (uti quibusdã alijs placet) unde sequitur, DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM facies. Audi, me· non autem dixit, iudicium principum mundi huius, ecclesiam persequentium, cuius membrum ipse erat, ut quidam sentiunt. Dicendo enim, de persequentibus me, de inimicis suis hic loquitur, ut in uita sua à domino, sicut paulò ante diximus, corripiantur, eò ꝙ ultra illud iudicium iudicat quoque Deus hos maleficos, puniendo illos in terra. Atqui si dicas, qua uia is qui paulò ante dixerat, Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam: nunc ut puniantur orat? Quppe, quia ibi pro conuersione orabat, hic uerò cum obstinati sint, & sibi nocere non desinant, Dei iustitiam inuocat: quam tum propter Dei gloriam, tum etiam propriæ utilitatis causa, rectè potuit impetrare, uindictam fugiens, & iustitiæ partem intra brachia constringens. Non quidem Satanæ carcerem hic considerauit, sed potius uagus mente particulare iudicium illud superborum nunc inquirit, de quo ipse alibi dixit, A paucis de terra diuide eos in uita eorum. Vltimus sanè Dauidis hic Psalmus fuit, tametsi ab ecclesia alter numeretur, qui omnes alios psalmos in se comprehendit: & idcirco ut rectè eum intelligamus, quæ in alijs psalmis ipse dixit, considerare debemus.

5 ¶ NARRAVERVNT MIHI INIQVI FABVLATIONES: SED NON VT LEX TVA.

Hic finis euagationi mentis Dauidis imponitur, qui cum ob longissimos cruciatus, quos passus fuerat, in carne iam curuatus ceruicem contra Deum erexisset, quasi è somno hoc loco euigilans, ne iterum in candẽ

mentis uagationem incidat, animam rursum curuat, summaq; cum humilitate se ad dominum conuertit. Nouerat planè has mentis euagationes certo tempore scripturam tolerare, modò in fine iræ, anteq; ratio peccet, ad Deum animam conuertamus: Paulo teste, cum ait: Non apprehendat uos tentatio præterq; humana, & alibi, Nolite dare locum iræ: Irascimini, & nolite peccare. quemadmodum Rebecca fecit, quæ tametsi dum à puero in utero solicitaretur, ira dixisset: si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere? mox tamen perrexit ut Dominum cõsuleret. sic enim Propheta quoq; cum iterũ dixisset, Proiectus sum à facie oculorum tuorum: protinus subiunxit, Ideo exaudisti uocem orationis meæ dum clamarem ad te. At quid dicit? NARRAVERVNT MIHI. *Subsiste lector, atq; obserua, haudquaquam nostras esse cogitationes illas, quando ipsi Deo plerunq; in longa persecutione, sensibus absq; consensu rationis irascimur, Dæmonum certè tentationes sunt: propter quas Propheta dicit* NARRAVERVNT MIHI, *dum ad iram prouocauerunt,* INIQVI, *id est dæmones tentantes,* FABVLATIONES *has, quas ego mente uagus ira accensus locutus sum. Etenim quasi noui Eliphaz, Baldaz & Sophar, Iobis Thobiæq; uxores, fabulationes consimiles illis propositas, nouissimè et mihi narrare eam ob rem solicitarunt; ut Saulem, Semei, & Nabal quoq; occiderem: deinde uerò impiorum exaltationem meis oculis proponebant: & quomodo penes affligentes me, tui memoria nulla erat, & tamen adhuc prosperè uiuebant: quocirca sæpe uagus mente his suasionibus impulsus dixi: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias: ego uerò sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Sed ò q; fatuus tunc eram? Existimabam equidem ut cognoscerem: sed labor fuit ante me, donec ad me conuersus iam intueor quandam humanam persuasionem isthæc habere, quæ ad iram animam prouocãt. Video mi domine non esse persuasiones has,* VT LEX TVA, *quæ haudquaquam pertranseuntem gloriam, aut superbiam & iram proponit, uel*

temporalem pœnam timere suadet, quemadmodũ illi consilium dabant: sed illum filiali timore nos timere docet, qui æternam gloriam dare, atq; in æternum animam perdere potest. Docet præterea ut tunc maximè à Dei manu nos adiutorium supersperare debeamus, quando grauius atque impiè ab impijs affligimur: utq; tunc quoq; dulcem ipsam afflictionem existimemus, cum mala iniqui operantes, in se ipsis exaltantur: certi, paulò post, illis lugentibus, plenos lætitia nos uitam ducturos, nam scriptum est, Cum surrexerint impij, abscondentur homines: & cum illi perierint, multiplicabuntur iusti, Dei iustitiam infallibilẽ præstolantes. Stat nãq; uersus iste tanquam medius inter mentis excessum & preces, quas Domino in sequẽtibus porrigit: sicut sæpe in nobis euenire solet, ut agnoscentes culpam, aliqua discurramus, antequam orare incipiamus: ita quidem, ut secum ipse dicat, Heu me miserum, quid loquutus sum? Non'ne stultus fui, his dæmonum suasionibus hærens? Deinde uerò hunc in modum aperto ore Dominum obsecret.

6 ¶ OMNIA MANDATA TVA VERITAS: INIQVI PERSECVTI SVNT ME: ADIVVA ME. *Hæc est prima petitio post mentis euagationem à Propheta Deo exhibita, per quam à tentationibus ijs se liberari obsecrat, inquiens:* OMNIA MANDATA TVA VERITAS. *hoc est, omnia mandata, quæ ab ipsa ueritate processerunt, ipsam ueritatem continent, non secus ac si diceret, Sic in ueritate exequi debent, sicut in ueritate omnia præcipiuntur. Quod si ita est, memor esto uerbi tui, quando declarasti, quòd tametsi maiora nos pati deberemus, adhuc tamen ante tempus propter iniquos, ne ipsi exaltentur, peccatoribus parceres: horumq; memor, mei non obliuiscaris. quasi dicat: Ecce domine respice, quia* INIQVI *& inique* PERSECVTI SVNT ME, *secundum ueritatem tuam* ADIVVA ME. *interea dum tam acerbè animam meam tentant: non ut tentationes cessent, sed potius ut gratia tua comite, ac tanquam uter nouo musto plenus illis resistere possim, & ad hunc modum iustificeris in pro-*

missionibus tuis, ne de cætero exaltentur. Incipiunt nanq; dicere, Euge euge uiderunt oculi nostri. Sed tu domine adiuua me, ne rursus dicant, Vbi est Deus eorum?

7 ¶ PAVLO MINVS CONSVMMAVERVNT ME IN TERRA: EGO AVTEM NON DERELIQVI MANDATA TVA. Putant Glossa & Augustinus martyres hic loqui, qui tanta passi sunt, ut ueritatē prædicarent. Alij uerò dicunt Prophetam esse, qui loquitur, & in uirtute sua gloriari. Aliud tamen agit, nam Deum obsecrat, ut ab his euagationibus eum placeat liberare, rationem enarrans, propter quam intrepidè sperat ita fore, inquiens PAVLO MINVS CONSVMMAVERVNT ME IN TERRA. id est in carne, quæ terra est. EGO AVTEM à te intrinsecus illuminatus atq; adiutus, iam cognoui culpam à carne processisse: & si iratus sum, tamen non peccaui. Siquidem à gratia tua adiutus NON DERELIQVI etiam in momento MANDATA TVA. quo fit, ut uagationes hæ minime pro peccato imputentur ijs, qui curuata carne cruciatus, quos eos pati iubes, ita sustinent, ut pœnam cōmissi peccati pensitēt.

8 ¶ SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM TESTIMONIA ORIS TVI. Sanctorum uirorum iusta petitio, qui feruentius tempore, quo uitam quietam ducunt, q; in medio tribulationis egerint, orant, operanturq;. adeò enim donec ipsa persecutio adest, perterriti plerunq; uiuunt, ut orare, sicut decet haudquaquam possint. hoc enim eidem Prophetæ contigisse legimus, quando dixit, Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus. hoc est, in ira inimicorum, qui me persequuntur, [conturbatus est oculus] id est intellectus meus, quo te cernebam, & quietem perdidit, in qua te Deum meum contemplabar. [Anima mea] id est uoluntas mea, qua te diligebam. [Et uenter meus] id est memoria mea, qua tui recordabar, contemplans mirabi-

lia de lege tua, iam conturbata sunt, itaq; conturbata, ut quodammodo perdiderint officium suum, quandò hæ necessitates illæ sunt, quæ non sinunt nos in nocte quiescere, cogentes nos loca in lecto omni momento mutare; à quibus liberatus Propheta, etsi pedes eius in loco spatioso constituti fuissent, adhuc tamen timore perterritus orabat, uitam in psalmo illo ab eodem domino petens, à quo nunc illam poscit, inquiens, SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM, qua bonitate propria motus, peccatorum nostrorum misereri soles. VIVIFICA ME, tum uires carnis, tum etiam animæ corroborando: quoniam adhuc curuationum uestigia durant, in quibus ira accensus conturbatus est oculus meus, anima mea, & uenter meus. ET, ego si sic uiuificatus fuero, CVSTODIAM adhuc in futurum TESTIMONIA TVA, hoc est mandata tua, ubi perspicuè cernis testimonia pro mandatis tanquam synonyma usurpari. ORIS TVI, tum quæ tu in ore Prophetarum locutus es, tum etiam, quæ eloquium tuum Christus ore suo mandauit, ut quotidie crucem propriam sustineamus. quasi cum Iob dicat: Qui leuiter loquutus sum, respondere quid possum? Quod utinam non dixissem & alterum: quibus ultrà non addam. Insipienter equidem locutus sum, & quæ ultra modum excedunt. Scientiam meam audi, & ego loquar. Interrogabo te, & tu ostendes mihi. Conseruationis gratiam in hoc uersu petens, pro qua perpetuò Deum obsecrat, ut in lege Domini die ac nocte ambulare possit: quod Prophetæ institutum erat.



DVODE-

¶ L LAMED ל

Latinè cor, & seruo, secundum Ambrosium, Hieronymus verò disciplinæ siue cordis.

OMissis contemplationibus Hugonis & Petri Lombardi, Ambrosium & Augustinum sequamur, qui literam hanc Lamed cor et seruo interpretantur, quasi sub hac litera cor idcirco seruet, ut soli Deo toto corde seruiat, quod est quodammodo cor seruitute refertum domino exhibere. Dixerat nanq; in octonario præcedenti absq; ratione se mente uagum fuisse: & cum ibi propter loci angustiam omnia aceruare nequiuisset, in hoc octonario cætera supplet, ubi euagationem mentis suæ principiò damnat: secundo uerò loco se excusat, legemq; ea potissimum de re extollit, quia si lex ipsum non adiuuasset, præ angustia dolorum in hac humilitate sua omnino perijsset, ab eadem lege spem hauriens, ut qui temporaliter ipsum liberauit, æternam quoq; salutem ei condonet. Deniq; uerò gratias Deo agit, quòd in hac pressura donis in lege contentis ipsum liberauerit per Christum omnium consummatorem, qui sic dilexit nos, ut semetipsum pro nostra salute daret. Diuiditur autem in partes tres: quarum secunda est ibi, Nisi. tertia, Tuus ego sum. in quibus quid senserit, paulò post fusius uidebis.

Lamed 1 IN AETERNVM DOMINE VERBVM TVVM PERMANET IN COELO.

Lamed 2 IN GENERATIONE ET GENERATIONEM VERITAS TVA: FVNDASTI TERRAM, ET PERMANET.

Lamed 3 ORDINATIONE TVA PERSEVERAT DIES: QVONIAM OMNIA SERVIVNT TIBI.

Lamed 4 NISI QVOD LEX TVA MEDITATIO MEA EST, TVNC FORTE PERIISSEM IN HVMILITATE MEA.

Lamed 5 IN AETERNVM NON OBLIVISCAR IVSTIFICATIONES TVAS, QVIA IN IPSIS VIVIFICASTI ME.

Lamed 6 TVVS SVM EGO, SALVVM ME FAC: QVONIAM IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

Lamed 7 ME EXPECTAVERVNT PECCATORES VT PERDERENT ME: TESTIMONIA TVA INTELLEXI.

Lamed 8 OMNIS CONSVMMATIONIS VIDI FINEM: LATVM MANDATVM TVVM NIMIS.

Hi tres primi uersus simul legendi sunt, ut commodius Prophetæ sensum percipiamus, dum ait.

1 IN AETERNVM DOMINE VERBVM TVVM PERMANET IN COELO.

2 IN GENERATIONE ET GENERATIONEM VERITAS TVA: FVNDASTI TERRAM, ET PERMANET.

3 ORDNATIONE TVA PERSEVERAT DIES, QVONIAM ONNIA SERVIVNT TIBI.

In his tribus carminibus hæc omnia legimus, in æternum uerbum permanere in cœlo, diem Dei ordinatione perseuerare, & deniq; ipsi Deo omnia seruire: quæ si rectè non intelligantur; minimè Prophetæ sensum intelligere poterimus. Sciendum igitur est, tempus numerum esse et motum secundum prius & posterius. Exempli gratia, si capiamus instans, à quo tanquam à principio incipit tempus, & hora: & ab hac ho-

ra dies, à die mensis, à mense annus: anni, centena & millia annorum: quæ omnia ante cursum cœli & solis non erant, sed cursu cœli & solis esse cœperunt, luce nimirum ac motu eorum. Ex quibus intelligimus, quòd si per hoc tempus retrocadere incipiamus, ante cœlos & solem tempus nō inueniretur, sed instans, quod in tempus nō transit: atq; hinc fieri, ut omne quod ante tempus est, æternū uocetur: Deus nimirum, qui increatus, ante solem & tempus, loco non comprehensus, & absque motu est, æternus ex parte ante, æternus quoque ex parte post, unde contemplari deinde incipimus ea, quæ finem, considerato termino ad quem, non habent, quadam similitudine æterna quoq; dici. Et deniq; ut eam ob causam, quia Deus æternus est, non solum opera sua, sed & nostra quoq; cum ipso æterno, hoc est cum gratia sua cooperata, atq; æterno præmio remunerata, tum quia fine carent, tum etiam quia ab æterno Deo operata sunt, æterna uocari: iuxta illud, Laudabo nomen tuum in æternum: usq; in æternum præparabo semen tuum, & id genus reliqua. hac enim ratione Angeli montes æterni dicuntur: terram quoq; in æternum permanere dicimus, absq; temporis præfinitione, postquam fuerit renouata. Similiter & cœli propter hoc æternum immobile, cuius uirtute secundùm eius ordinem stant, æterni sunt, animæ item æternæ, eò q; uisione æterna Dei, absq; fine uita æterna uiuendo fruuntur. Hactenus de æterno. Superest nunc, ut cœlorum motum obiter quoq; percurramus, quò deinde, quomodo uerbum permanet in cœlo, intelligamus. Quare sciendum est sapientibus placuisse, post septē cœlos octauum esse, quod sydereum à quibusdam, ab alijs uerò firmamentum nominatur. quibus nonum crystallinum seu aqueum superaddunt, omnino diaphanum: quod alio nomine nonam sphæram nominãt, qui tametsi an decimum cœlum detur (quod decimam sphæram seu primum mobile appellant) inter se dissentiant: hoc tamen clara uoce concludunt, supra nonum cœlum, decimum Empyreum esse, uniforme, simplex, immobile & sanctum, ubi triumphans ecclesia inhabitat. Cæte-

rum, quia alia uox adest, nimirum permanet: sciendū est aliter spiritualia, aliter corporalia loco circūscribi & definiri, atq; corporū hanc esse naturam, ut cum in uno loco consistunt, minimè eodem tempore in alio loco esse possint: neq; ut unum corpus alterius corporis locum simul & semel praeoccupare ualeat. Alter uerò motus rerum spiritualium, utpote Angelorum, qui hoc cum homine participant, nempe ut cum in hoc loco Angelus est, non possit eodem tempore alio in loco esse: in alio autem hominem superat, quia Angelus nequaquam sicut homo locum per proprias dimensiones occupat, sed ubi homo est, in eodem loco Angelus esse potest. Est & tertius motus Dei, qui angelos & homines excedit, quandoquidem dimensiones cum angelo non habet, ac proinde loco non circunscribitur: & angelos excedit, quia ante tempus & locum aeternus est, in semetipso constans, unde prouenit ut simul & semel ubiq; sit, atq; in eodem loco ubi per proprias dimensiones alius manet plus & minus quanto abundantius, hic uel ibi, in hoc uel in illo homine uirtutem suā ostendit simul & ipse sit. Quibus hunc in modū explicatis, ad rem redeamus, animaduertentes in primis, Dauidē qui non potuit in praecedenti octonario omnia recensere, quae super ipsa mentis euagatione occurrerant, hoc in loco imbecillitatem suam agnoscere, quē cum Domino hoc ordine loqui fingamus: Non ego bestia mente uagus eram, tunc cum uerba in praecedenti octonario contenta adeò imprudenter dixi? siquidem ad me conuersus, perspicuè nunc per donum sapientiae tuae cognosco ꝙ IN AETERNVM, ut dixi, VERBVM TVVM incarnatum permanet in coelo. At dices, quare à uerbo incarnato aeterno Propheta hic exordium sumit? quia ubicunq; scriptura de omnipotenti prouidentia Dei loqui intendit, uerbum incarnatum proponit, cui Pater omnem potestatem dedit, sicut ipse alibi testatur, dum ait, Data est mihi omnis potestas in coelo, & in terra. Quod intuens alibi Paulus dixit: Christus est solus potens, rex regum, & dominus dominantium: cui honor, & imperium sempiternum, splendor gloriae suae,

PERMANET, *præſenti tempore eam ob rem loquens, quia in uerbo æterno tempus conſiderari non poteſt.* IN COELO, *hoc eſt cum angelis & ſanctis (ſecundum quoſdam) quibus cum* Deus *in ſe conſiſtens habitat, quaſi templa domini ſint, in quibus* Deus *permanet.* Tu au*tem (etſi opinio hæc in ſe bona ſit) dic uere uerbum incarnatum habitare in cœlo ſancto ſuo empyreo, cum carne* Chriſti, *quam ſemel aſſumpſit, & nunquam dimiſit: ubi ueritas, id eſt eccleſia habitabit in circuitu ſuo. ſic enim cælum eſt ſedes eius, tametſi* Deus *in ſeipſo conſtet.* sed *iterum rogabis, quorſum hæc omnia tendunt?* Dixerat *nãq;* Propheta, *Quando facies de perſequentibus me iudicium?* vbi *duo conſiderauit: primum, ꝙ nimis tardè* Dei *prouidentia ſibi ſuccurrerat:* et *ſecundum, ꝙ inimici ſui cum hominibus non affligebantur.* In *quibus* Dei *prouidentiam & potentiam tacitè arguebat. quamobrem ut errorem hunc corrigat, imperium uerbo incarnato, cui ipſe credit, nunc tribuit: cuius prouidentia perfectè omnia gubernantur, ut ſequitur,* IN GENERATIONE ET GENERATIONEM, *hoc eſt tam* Hebræorum *q̃; gentium: duos populos oſtendens, unum uidelicet* Prophetarum Hebræorum *ac iuſtorum, qui* Chriſtum *præceſſerunt: alterum uerò* Apoſtolorum, *& qui illos ſecuti ſunt gentilium: ab angulari lapide* Chriſto *unà coniunctorum,* VERITAS TVA, *uerbum nimirum incarnatum potens manet, atq; in futurum permanebit, quæ in ueritate promiſit, in eadem ueritate implens.* Et *idcirco, quia uerbo tuo dixiſti, miſſurum te ueritatem tuam* Chriſtum, *ſanare, temporaliter liberare, & in æternum nos ſaluare, minimè dubitare tunc debebam, quin in generatione & generationem ueritas hæc tua permaneret: ſiquidem ſcriptum eſt,* Non *relinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur.* Non *quidem ratione comite, ſed uagus mente de potentia & prouidentia tua dubitaui: quando tu* FVNDASTI TERRAM, ET PERMANET. *terram (ſecundum quoſdam) id eſt eccleſiam, quæ tunc temporis quando eſſe cœpit, merito terra dici poterat, eò ꝙ terrena ſapie-*

bat: & in aduentu Christi suo spiritu illustrata sic fuit, ut perpetuo maneret, ita quidem, ut nauicula Petri, quæ fluctuare potest, perire haudquaquam possit. uel (secundum alios) dicemus de sanctis in fide permanentibus eum loqui, eò quòd homo terra est. Tu uerò dic, fundasti terram, hoc est terræ elementum, rem planè absq; spiritu, ut in medio aquarum permaneret: & ita permanet, uirtuti tuæ obediendo. Tu quoq; iussisti soli, ut cursum suum singulis quibusq; diebus conficeret: et re ipsa uidemus. ORDINATIONE TVA PERSEVERARE DIEM, neq; currere cessare solem motu cœlorum uniformi: quibus concipere potui, ueritatem tuam esse illam, quæ omnibus mundi rebus infinita prouidentia atque potentia sapientissime prouidet. Hoc certè modo iumentum factus sum, minimè cognoscens tibi eam ob rem omnem curam nostri relinquendam esse, ut tu sis ille, qui nos cooperatores cum gratia tua qua comite, & non aliter omne bonum opus operamur, eripias à manu affligentium nos: QVONIAM OMNIA SERVIVNT TIBI, qui in recta sapientia & iudicio omnia facis, & infernarum quoq; rerum prouidentiam habes. Non quidem absq; causa tunc me exaudiebas, eò quòd tu ille es, qui illos punis, ut saluentur: illos uerò derelinquis, ut acrius puniantur; longasq; tribulationes iustorum esse iubes, ut accepto tempore illos liberes. Parce ergo domine mihi tūc mente uago, qui nunc cor meum quod seruo, tibi soli offero, cui seruiunt omnia.

4 ¶ NISI QVOD LEX TVA MEDITATIO MEA EST, TVNC FORTE PERIISSEM IN HVMILITATE MEA. Propheta, qui nihil aliud in toto hoc psalmo agit, q̄ ut ostendat omnia tutamina à lege, Dei gratia accepisse; cum in præcedentibus tribus uersibus mentis euagationem accusasset, hoc in loco partis secundæ octonarij istius, quare mente uagus fuerit, se excusat, simulq; legem (prout solet) extollit, tantamq; ac talem uexationem fuisse, ut si lex ei non succurrisset, non solum usq; ad mentis euagationem peruenisset, uerum etiam perijsset, dicens: NISI QVOD LEX

... referta & exemplis aliorum, qui eadem passi tandem gratia tua liberati sunt, MEDITATIO MEA EST. præsenti uoce utēs, quasi semper in eadem meditatione scrutando legem uixerit TVNC, id est in tribulatione, quando dolores undiq; urgebant, non solum sic locutus fuissem, sed forte (secundum me, tu autem ueritatem nosti) ob doloris angustiam PERIISSEM IN HVMILITATE, id est afflictione MEA. iuxta illud, Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. Renuit consolari anima mea & id genus reliqua. sed rursum rogabis: Quid commune inter se scrutatio scripturæ cum cordis dolore habet? Cui quæsito Augustinus respondet, delectationem contemplationis uerbi in scripturis contenti, mitigare dolorem, qui est in sensu propter spem, quæ ex ipsa scrutatione oritur, dum omnes Dei promissiones in aliorum personis, sic ut in lege promiserat, secundum ueritatem adamussim consummatas fuisse expendit, res quidem ab his optime per intellectum practicum cognita, qui persecutiones multas mecum passi sunt.

5 ¶ IN AETERNVM NON OBLIVISCAR IVSTIFICATIONES TVAS, QVIA IN IPSIS VIVIFICASTI ME. Ludens (prout solet poetico more) super hoc uocabulo æternum, quasi dicat, Aeternus es tu, æternum uerbum tuum, in generatione & generationem ueritas tua. IN ÆTERNVM igitur et ego à te liberatus, sine fine NON OBLIVISCAR IVSTIFICATIONES TVAS. iustificationes uocans legem, in qua iustificationes & dona eius animam uiuificantes continentur. QVIA IN IPSIS VIVIFICASTI ME (ut supra diximus) qui alioqui periissem.

6 ¶ TVVS SVM EGO: SALVVM ME FAC, QVONIAM IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI. Quoniam Prophetæ mos est omnia iudicia Dei in hac sua contemplatione commemorare, quibus spem salutis æternæ ualeat roborare, cogitans omnia Dei mandata & iudicia facta fuisse, ac de genera-

tione in generationem enarrata, ut homines ponant in Deo *spem, ... & non obliuiscantur operum* Dei *: & mandata eius exquirant.* Hinc Christiani *militis officium esse intellexit, ut semetipsum abneget, tollat crucem propriam, &* Christum *sequatur, eòq; in hunc modum desinit esse suus, dominiq; seruus efficitur, seruiendo iustitiæ eius, ijsq; expensis, quoniam ad literam* Lamed *peruenerat, quæ cor & seruo, quasi cor seruitutis significat, sic orat:* TVVS EGO SVM, *id est à te redemptus, seruitio tuo sponte dedicatus, qui tibi corde seruio, non secus ac si dicat,* Meus *esse desii, cum relictis uijs meis tuus factus sum, ut illud* Pauli, Liberati *autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* SALVVM *igitur* ME FAC, *quæ uox saluum, tametsi pro salute corporali intelligi posset, secundum illud,* Deus Deus *meus saluum me fac, ubi pro defensione manus* Domini *usurpatur, pro æterna quoq; salute, ea ratione usurpari poterit, quia omnino à manu principum mundi huius, cum quibus sibi negocium erat, se liberari petit, et pro ratione assignat,* QVONIAM *tuus factus* IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI. *ad illum modum, secūdum quem alibi orauit inquiens,* Domine *non confundar, quoniam inuocaui te.* Tibi *dixit cor meum,* Exquisiuit *te facies mea, ut stipendium iustitiæ uita æterna sit.*

7 ¶ ME EXPECTAVERVNT PECCATORES, VT PERDERENT ME: EGO AVTEM TESTIMONIA TVA INTELLEXI. *quæ uerba hoc ordine declaranda sunt.* Dic *(quæso)* David, *unde isthæc tu hauris, ut secundum modum in præcedenti uersu enarratū iustificationes, quæ animam tuam uiuificarunt, exquisieris? ipse uerò tacita interrogatione respondeat,* ME EXPECTAVERVNT PECCATORES. *perinde ac si dicat,* Non *solum iustificationes tuas desiderare concupiui, uerum etiā exquirendo opere id consummaui, quando persequentes me, tum dæmones, qui inducias aliquas interdum per interualla meæ euagationi dabant, ut ad me conuersus, ratione peccarem: tum etiam peccatores*

persequentes

me laqueis paratis expectauerunt, aliquo temporis spatio me non affligendo, ut deinde PERDERENT ME. nam morti me tradere conabantur, EGO AVTEM TESTIMONIA TVA INTELLEXI, hoc est martyria (secundum quosdam) intellexi, sed rectius dicemus, gratia tua omnia, quæ me facere ad salutem oportebat, à testimonijs tuis (quæ pro lege hic ponit) intelligi: non ut in finibus intelligentiæ constiterim, sed quia uoluntate tua perspecta, illa opere, gratia tua comite, impleui: illos neglexi, & tibi soli hæsi, cui cor quod seruo, humili seruitute refertum dedico.


8 ¶ OMNIS CONSVMMATIONIS VIDI FINEM: LATVM MANDATVM TVVM NIMIS. quasi dicat. Cur rationem inquiro, ob quam hæc spes salutis æternæ mihi facta sit? Ego certè ille seruus tuus sum, cor meum ut tibi soli seruiat seruans, qui OMNIS CONSVMMATIONIS VIDI FINEM: Quæ uerba à quibusdam ita interpretantur, ut dicant in lato mandato, id est in lege, omnis consummationis tum humani, tum diaboli studij finem cum uidisse, uel consummationis, id est destructionis: nimirum ut iusti mortem & finem, atq; iniusti, unà cognosceret. Tu autem in hunc modum Prophetam dixisse intelligas, Eam ob causam saluum me fore spero, ò domine, quoniam OMNIS CONSVMMATIONIS VIDI FINEM, id est Christum (qui legis finis est; & in cruce omnia consummauit) me comitantem, donec sustinendo oblatam mihi crucem, omnia quæ iussisti, in uirtute crucis illius ego quoq; consummaui. Ille nanq; solus, cum filius Dei esset, ex his, quæ passus fuit, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis. Christum autem uidendo, patris sapientiam uidi: sapientiam uerò, quæ in me uenit, uidens, charitatem tuam mecum esse uidi. LATVM inquam illud MANDATVM TVVM NIMIS. mandatum charitatis ipsam charitatem uocans, per quam mandatum charitatis, nec aliter, implemus: quod & Christus obedientiã discens impleuit, ut consummatio legis esset. Quasi diceret,

Christum uidi, quem tu magna charitate motus pro nobis ... disti, Christum inquam, qui uolens, pro nobis summa cum charitate passus est. Et hoc quidem, non ut in sola uisione res consisteret, quin potius ut in uirtute huius consummationis à Christo factæ, quam ego participaui, in me quoq; omnis consummationis uiderim finem. Est nanq; charitas ipsa, præcepti finis: quam (ut ea duce, mandata, quæ absque ipsa nimis mihi fuissent, meritorie, per aliud nimis, id est charitatem tuam seruarem) spiritus sanctus in corde meo sic diffudit, ut crucis mihi oblatæ mandatum, quæ mihi nimis alioqui fuisset, omni ex parte consummauerim. Christum omnis consummationis finem, charitatemq; præcepti finem, et propriam crucē simul coniungens: ut cum Paulo dicat, Gratia Dei à morte peccati huius per Iesum Christum me liberauit: non ut me iterum perderet, immo potius ut in æternum saluaret. quasi dicat, hæc enim cum ita se habeant, non'ne ex his recta ratione spem æternæ salutis haurio? Obserua quæso lector, qua arte psalmū hunc, pastor iste ordinauerit. Hic sanè finem narrandi persecutiones & ærumnas in illis perpessas imponit: & quasi oblitus passionū, quæ præcesserant, fructus operum spiritus sancti deinde colligit, benedicens Deo, qui hac uia dignatus est Christum ei ostendere, & propriā charitatem suam, qua ipsum ex toto corde redamamus, proximos uerò sicut nosmetipsos diligimus: nil aliud deinceps agens, quàm ut Dei dona contempletur. Hunc item uersum corporeas passiones à gaudijs spiritualibus diuidentem, in fine illius octonarij, quasi in medio passionum & gaudiorum collocasse: ut deinde in alijs octonarijs sequentibus ipsius charitatis effectus, cæteraq; Dei mirabilia, & Christi merita ecclesiæ ostendere possit. Sic enim & in fine quarti octonarij expleto actiuæ uitæ cursu, anteq; uitam contemplatiuam in quinto octonario intraret, alterum uersum quasi in medio utriusq; uitæ collocauit, inquiens, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, eodem scilicet mandato charitatis per Christum. Hactenus quinta pars

DECIMVSTERTIVS OCTONARIVS.

מ MEM ם

Latinè, ignis, viscera, ex ipsis, ex intimis. Hieronymo verò placet vt dicamus ex ipsis.



OSTQVAM Propheta in præcedenti octonario dixerat, omnis consummationis uidi finem, latum mandatum tuum nimis, ad literam Mem peruenit, quæ isthæc omnia significat, ignis, uiscera, ex ipsis, ex intimis, per quæ ipsa charitas ostenditur: cuius præconia cum in illo ultimo uersu tum propter loci angustiam, tum ipsius charitatis magnitudinem commodè narrarè nequiuisset, in hoc octonario & sequentibus illa singillatim ecclesiæ recenset, nil aliud perpetuò agens, quàm signa præcedentis aduentus charitatis, eiusq; mysteria contemplari: & hoc quidem, ut ecclesia his auditis, quæ bonus Deus propria charitate motus in eo operatus est, cum tribulatur, eadem adiutoria speret, ipse uerò supra anchoram firmissimam spem propriam ponat, ac cum Paulo dicat: Non ego solus plus omnibus laboraui, sed gratia Dei mecũ per Iesum Christum, in quem adhuc spero, ut opus perficiat usq; in diem Christi.

Mem 1 ¶ QVOMODO DILEXI LEGEM TVAM DOMINE: TOTA DIE MEDITATIO MEA EST.

Mem 2 SVPER INIMICOS MEOS PRVDENTEM ME FECISTI MANDATO TVO: QVIA IN AETERNVM MIHI EST.

Mem 3 SVPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI, QVIA TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST.

Mem 4 SVPER OMNES SENES INTELLEXI, QVIA MANDATA TVA QVAESIVI.

Mem 5 AB OMNI VIA MALA PROHIBVI PEDES MEOS, VT CVSTODIAM VERBA TVA.

Mem 6 A IVDICIIS TVIS NON DECLINAVI, QVIA TV LEGEM POSVISTI MIHI.

Mem 7 QVAM DVLCIA FAVCIBVS MEIS ELOQVIA TVA, SVPER MEL ORI MEO.

Mem 8 A MANDATIS TVIS INTELLEXI: PROPTEREA ODIVI OMNEM VIAM INIQVITATIS.

1 ¶ QVOMODO DILEXI LEGEM TVAM DOMINE: TOTA DIE MEDITATIO MEA EST.

Sunt multi, qui notulam istam, QVOMODO, hunc in modum explicandam esse putant. Quantum ego, & in quem modum charitate duce legem tuam dilexi. Alij uerò dicunt, Prophetam, qui dixerat, omnis consummationis uidi finem, latum mandatum tuum nimis, sub litera Mem constitutum subiungere. Quo modo, ut sint duæ partes, in ablatiuo casu, quasi hoc modo, omnis consummationis uidi finem, quando quidem non antea legem & contenta in lege, ex toto corde amamus, q̄ charitas præstet, ut ipsam redamare queamus. in idem tamen recidūt. dic ut uis, modò secundum literæ Mem, proprietatem, hanc Prophetæ mentem esse intelligas, ut cum Paulo dicat, Charitas urget: qua comite, & non aliter, DILEXI, toto corde, amando LEGEM TVAM DOMINE, hoc est contenta in lege. Siquidem qui Deum amat, itidem & quæ Deus iubet diligit TOTA enim DIE, non quòd continuus actus sit, qui nunquam cesset: sed quia is tota die legem meditatur, qui omnia quæ operatur, in Dei laudem facit, siue legem scrutetur, siue ip-

jam meditetur, siue ea quæ iubet operetur. MEDITATIO MEA EST, *quasi perpetuò ad omne opus bonum præsens maneat, neq; tunc fuerit quod nunc non sit: neq; incipiat quod tunc, cum tota die in dei laudem omnia operabatur, non fuerit, sic enim ex charitatis effectu, ipsam charitatem in eo permansisse, atq; in præsentia permanere cognoscit; unde spem æternæ salutis haurit; legi euangelicæ Christi, per quem gratia facta est, omnia tribuens, quasi scopum, ut illius laudes enarret, semper præ oculis habet.*

2 SVPER INIMICOS MEOS PRVDENTEM ME FECISTI MANDATO TVO: QVIA IN AETERNVM MIHI EST. *Cum tria sint, quæ hominem in mundo instruunt, natura nimirum, qua secundum uirtutem uiuere possumus: ars item, ab illis audiendo, qui per se uel codices suos editos, nos docere solent, & experientia rerum, quæ in senibus plurimum adest: hinc Propheta, qui in præcedenti octonario cum dixit omnis consummationis uidi finem, latum mandatum tuum nimis, sub uno mandato charitatis cætera conclusit: ut latius contenta in charitate ipsa nobis cōmonstraret, sequentes uersus subiunxit, quibus uirtutes tum morales tum intellectuales plus ipsa natura, arte, & experientia per aduentum charitatis in animam infundi ostendit, inquiens:* SVPER INIMICOS MEOS, *Saulem, Absalonem, & Achitophelem, atq; alios me persequentes, qui prudentia, quæ secum charitatem non habebat, mundi gloriam quærentes, appetitui locum dederunt, ut puerorũ instar, qui ob naturæ simplicitatē poma auro præferũt, propter terrena, ut temporaliter regnarent, spiritualia neglexerunt, et me persecuti sunt,* PRVDENTEM ME FECISTI MANDATO TVO, *id est lege tua nobis data (secundũ quosdam) per quam hominũ mores instruis. Vel mandato tuo, qui idcirco iussisti me tribulari, ut experimēto eorũ, quæ passus sum, prudentē me faceres. Tu autē dic,* PRVDENTEM ME FECISTI, *prudentiam infundendo,* MANDATO TVO *charitatis, ipsa charitatem*

mandatũ idcirco uocitans, quia hoc unicum mandatũ nobis lex pr[illegible], à quo cætera pendent, sic enim in præcedẽti octonario, uersu octauo, charitatẽ expressit: non secus ac si dicat, hoc modo: Tu *prudentẽ me fecisti, ut te cognoscerẽ: deinde uerò ut non solum te ex toto corde amarem, uerum etiam ut propter te inimicos quoq; diligerem.* Non *quidem humanæ prudentiæ opus hoc fuit, ut quasi homo, qui illos timerem, uel regnandi causa propter temporalia ad amicitiam illos allicerem, diligere simulauerim; sed* QVIA *mandatum hoc charitatis* IN ÆTERNVM MIHI EST, *salutem æternã præbens, quapropter te mihi summũ bonum* 5
& inimicos propter te uerè dilexi. O*bserua lector tria* Prophetam *dixisse: primum prudentem: post quam uocem, quæ ambigua erat, an acquisita, uel infusa prudentia fuisset, secundum subiunxit, me fecisti, quasi tu supernam sapientiam infundendo, me imprudentem prudentẽ feceris.* Deinde *uerò & tertium superaddit, mandato tuo, charitatis: ut modum commonstret, quomodo per aduentum charitatis prudens ipse euaserit.* Quibus *hunc in modum explicatis (etiam si ecclesia, ut quidam censent, sic loqueretur) eant nunc hi, qui uirtutes morales infusas negant, officiumq; charitatis hoc esse palàm confiteantur, nempe ut uirtutibus moralibus ueram beatitudinem assequamur, quando scilicet ab ea formam suscipiunt per unctionem spiritus sancti.*

3 SVPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI: QVONIAM TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST. *quando nudis pedibus propter consilium* Achitophelis, *quod præualuit, fugiebam, tunc sanè* Abisai *uidi: qui cũ* Semei *maledicentem mihi audiuisset, dixit,* Vadam, *& amputabo caput eius; ego uerò ad illum:* Quid *mihi & uobis est filij* Saruiæ? Dimitte *eum ut maledicat.* Dominus *enim præcepit ei, ut malediceret* Dauid: *& quis est, qui audeat dicere, quare sic feceris?* Rursum *quando alijs restiti, qui in spelunca* Saulem *occidere uolebant; tunc enim cognoui, quod propter dona, quæ cum charitate aduenerunt, sapientiæ, scientiæ*

& intellectus, SVPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI,*nempe quia prudens à te factus hoc charitatis mandato, summa cum fortitudine, iustitia, & temperantia, omnem iram atq; superbiam cohibui; & hoc quidem, non quasi his uirtutibus moralibus, tanquam acquisitis usus sim, sed potius, quia infusæ uirtutes supra illas sunt, quæ secundum naturam docent: quandoquidem etsi natura prompta erat de inimicis ulcisci, fortis cum essem corde & uiribus, charitas tamen præualuit, ut propter te illis parcerem. fructum autem hunc ea ratione collegi,* QVIA TESTIMONIA TVA *contrarium præcipientia,* MEDITATIO MEA EST *. quemadmodum in primo uersu dixi, bellè docens, tam naturæ q; arti cœlestia dona anteponenda esse.*

4 SVPER OMNES SENES INTELLEXI, *qui experientia docti esse solent, & ab effectu ad causam retrogradientes ob magnam experiẽtiam res ipsas dono intellectus intelligunt. Ouium nãq; pastor cum essem, absq; experimento ullo, supra omnes senes intellexi, qui traditiones suas legi Dei præponebant: de quibus Esaias loquens dixit: Caupones tui miscuerunt uinum aqua, & alibi Iesus: Quare uos trasgredimini præceptũ Dei propter traditiones uestras? At hoc quare?* QVIA MANDATA TVA, *non autem illa quæ natura docet,* QVÆSIVI, *quærendo autem quia sermo tuus intellectum dat paruulis, spiritum attraxi: itaq; donum intellectus obtinui: Sunt nanque gradus in sapientia, nempe ut quidam fallaci acquisita sapientia utantur: pleriq; uerò superna sapientia informi, quæ mentem mouet duntaxat, & per eam docti sæpe euadunt. alij uerò infusa sapientia, charitatem secum habente, quæ animam ad bonum gratia Dei perducit, ut principium omnium principiorum intelligant, de quibus omnibus Propheta loquens illam sapientiam deniq; cõmendat, quæ charitatem habet adiunctam, qua cum dona sapientiæ, scientiæ, & intellectus ueniunt. Ille nãq; Prophetæ huius magister est, qui dixit, Nolite cogitare quid loquamini; sciens se locuturum in ore eorum, dona sapientiæ, scientiæ et intellectus*

infundendo, quemadmodum Propheta hoc loco secum actum esse testatur, Deo gloriam tribuens, qui his præuijs manus suas docuit ad prælium.

5 AB OMNI VIA MALA PROHIBVI PEDES MEOS, VT CVSTODIAM VERBA TVA.

Sunt quidam, qui ex his uerbis colligunt nostrum esse prohibere pedes, ne per malam uiam incedant: parum aduertentes Prophetam in domo charitatis sic loqui, qua comite, & non aliter, pedes nostros dirigimus. unde dic, AB OMNI VIA MALA, *non ut nunquam in uia mala steterim, siquidem peccaui, sed ab omni, hoc est quandocunque à uia mala pedes meos prohibui, afflictionis præsertim tempore, charitate præuia ac comite id egi, sicut alibi inquit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Sic enim alterum scripturæ testimonium Augustinus interpretatur, dum ait: Rectos cursus fac pedibus tuis: ut homo sit, qui faciat, non tamen absque adiutorio Dei* PROHIBVI, *dum ire secundum carnem, & ad malum accedere prompti erant. quasi uoluntas mala, bona deinde uoluntas per charitatem facta sit, quæ bonum uelle dedit iuxta illud Ioannis: Ego rogabo Patrem: & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, qui non sinet uos, cum bona uolueritis, falsa eligere.* PEDES MEOS *uoluntatis, quæ rationi obedire recusabat: non tamen ego, sed tu: quemadmodum alibi dicit: Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua domine adiuuabat me, non ut iustus coram hominibus apparerem, sed ut* CVSTODIAM, *uerbo præsenti, quod (ut dixi) & præterita complectitur,* VERBA TVA. *sed quæ uerba ista fuerint, uarios intellectus doctores accommodant. Tu autem dic, ut custodiam uerba tua, id est mandata tua omnia, ad crucem usque, quam nos sustinere debere iussisti, inquiens: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Si quis diligit me, sermonem meum (crucis, sicut ibi notant)† seruabit: & pater meus diliget eum, & mansionem apud eum faciemus; omnia ipsi spiritui sancto*

† 10. 14

tribuens

tribuens, qui per gratiam in cordibus nostris habitare uenit: suam charitatem diffundens, absque qua non solum crucem ipsam sustinere nequiremus, sed neque peccatum aliquod meritorie uitare ualeremus; hoc enim Prophetæ institutum erat, legi præsertim euangelicæ omnia tribuere, hoc his uerbis agit.

6 A IVDICIIS TVIS NON DECLINAVI, QVIA TV LEGEM POSVISTI MIHI. quasi dicat, scio domine quòd si A IVDICIIS TVIS, in quibus uoluntatem tuam patefacis, quum bona opera cooperatus sum NON DECLINAVI, haudquaquam ego solus fui, sed idcirco sic factum est, QVIA LEGEM euangelicam charitate refertam POSVISTI MIHI, sicut scriptum est, Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum superscribam eas, qua posita; propter eandem charitatem ego legem dilexi, & ei hærendo; à iudicijs tuis, gratia tua mecum cooperante, non declinaui, legi & hoc quoq; tribuens, propter ea quæ in ipsa lege continentur.

7 QVAM DVLCIA FAVCIBVS MEIS ELOQVIA TVA SVPER MEL ORI MEO. Placuit Hugoni & alijs, legis præconia Prophetam hic enarrasse. quæ quidem opinio stare poterit, si de his, quæ in lege continentur, hoc est de ipsa charitate & gratia senserint: alioqui cum illis sileant, qui psalmos Dauidicos tempore persecutionis editos in cellis interpretantur: & illos, qui re eadem experti sunt, his in rebus audiant. Metaphorica nanq; locutio hæc est, ut faucibus & ori supra mel dulcia eloquia Dei fuerint: faucibus nimirum animæ, quæ ore spirituali quietem sumere, uel illam faucibus deglutire, ob infinitas passiones nequaquam poterat, donec gratia Dei in lege euangelica contenta, animam recreauit. quapropter paulo post dixit, QVAM DVLCIA FAVCIBVS MEIS ELOQVIA TVA, qui haudquaquam per Angelos locutus es mihi, prout Abrahæ, Moysi, & alijs locutus es: sed per te, qui in lege perpetuò loqueris: iuxta illud, Propter uerba labiorum tuorum

sustinui uias duras; proindeq; SVPER MEL *fuerunt ori & faucibus animæ meæ, dum actu consolationes ipsas, quas secum charitas affert, in medio tribulationum sensi. Hoc quidem Paulus alibi de seipso loquens testatur, dicens: Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christũ abundat consolatio nostra, & alio in loco: Qui consolatur humiles, consolatur & nos. Omnia possum in eo, qui me confortat, propter charitatem scilicet, quæ omnem tristitiam foras mittit, itaq; dulcis est, ut supra mel esse uideatur, quod nullum contrarium saporem admittit. Hic germanus sensus est, quem omnes sequentur, qui afflictionis tempore donum hoc obtinebunt, experientur nanq; omnibus diuitijs, magistratibus, uxoris optimæ atq; pulcherrimæ consuetudine filijs, patria, parentibus, amicis, Dei charitatem dulciorem esse.*

8 A MANDATIS TVIS INTELLEXI: PROPTEREA ODIVI OMNEM VIAM INIQVITATIS. *Nisi Ioannis uerba, quæ suprà descripsimus, funditus intelligas, minimè Prophetam intelligere quibis.* A MANDATIS TVIS INTELLEXI, *quippe qui cum hic finis animæ sit, ut diligendo Deum, ipsum intelligamus: quem minimè in momento, sed per gradus obtinemus; principio enim spiritus tuus, qui charitas est, mandata mihi declarauit, cum legem in corde posuit: & à mandatis tuis intellexi. quasi dicat, de gradu in gradum secundum diuinas operationes, & prout Charitas Dei in me crescebat, reliqua intellexi, itaq; opere iustificationes tuas custodiui: id sanè quod Ioannes sensit, quando dixit. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. quasi dicat, Principium à charitate ortum fuit, qua comite legem tuam dilexi. media item per charitatem à me operata sunt, ut finis ad eandem charitatem tenderet, &* PROPTEREA, *quia charitas tua, spi-*

ritus tuus per gratiam inhabitantem mecum erat, non solum ipsa pec-cata ODIVI, & ab omni uia mala probibui pedes meos, uerum etiam OMNEM VIAM INIQVAM ODIO HABVI. Et dicit, uiam iniquam, non autem iniquitatem, quia multæ sunt uiæ, quæ etsi simpliciter ini-quæ non sint, ad iniquitatem tamen nos deducere poßunt, iuxta illud, Aut stulti, aut ebrij chorearum spectatores sunt, & alibi, Qui exponit se periculo, facilè incidit in illud, ostendens per hæc non solum ipsam iniquitatem, uerum etiam uias ad iniquitates, in aduentu charitatis odio habuiße. Quibus hunc in modum explicatis, iam uides quantas laudes legis ipsius afferat, ut charitatem in lege contentam, cum ad charitatis domum aduenit, ad summum extollat, hæc planè cum in præcedēti octo-nario cōmodè ostendere non potuisset, in isto octonario narrauit.

DECIMVS QVARTVS OCTONARIVS.

N NVN

Latinè vnicum, pascua, sempiternum.



CVM ad literam Nun peruenißet, quæ vnicum & pascua scripturarum, significat: in quibus post Saulis Absalo-nisq; mortem ab omni perturbatione exutus, sub unico Deo per unicum filium Iesum Christum, in unico manda-to charitatis Propheta ipse animam pascendo uitam ducebat, uti euenire solet, uiros sanctos tunc maximè tentari, quando feruentius in spiritu & ueritate orant, tertia persecutio dæmonum grauius ipsum in animo tentantium mox sese obtulit: qua adeò affligebatur, ut minimè ea quæ ore proferebat, integro rationis iudicio Deo offerre potuerit: non ta-men lex ipsa instruens & gratia adiuuans defuere, quæ ab his quoque

ipsum liberarunt. Atqui dices, quis tibi hæc reuelauit? Ego uerò respondebo, ut hunc et sequentes duos octonarios legas: ut his lectis, mihi subscribas. Diuiditur autem in partes duas. In prima usque ad uersum, Humiliatus sum: præterita adiutoria, legisq. uires narrat, à qua futurum quoq; adiutorium sperat, perseuerantiæ nimirum usq; in finem, ut tentationibus ijs gratia comite resistere queat. In secunda uerò nouam hanc tentationem domino recenset, petens ab eo, ut gratiam quam iandudum petierat infundendo, ipsum uiuificet: quandoquidem semimortuus animam in proprijs manibus portabat, timens ne à gratia, in qua manebat, excideret, propter ingentes cruciatus, qui nec orare ipsum sinebant.

Nun 1 ¶ LVCERNA PEDIBVS MEIS VERBVM TVVM, ET LVMEN SEMITIS MEIS.

Nun 2 IVRAVI ET STATVI CVSTODIRE IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

Nun 3 ¶ HVMILIATVS SVM VSQVEQVAQVE DOMINE, VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

Nun 4 VOLVNTARIA ORIS MEI BENEPLACITA FAC DOMINE: ET IVDICIA TVA DOCE ME.

Nun 5 ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS SEMPER, ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

Nun 6 POSVERVNT PECCATORES LAQVEVM MIHI, ET DE MANDATIS TVIS NON ERRAVI.

Nun 7 HAEREDITATE ACQVISIVI TESTIMONIA TVA IN AETERNVM, QVIA EXALTATIO CORDIS MEI SVNT.

NUN 8 INCLINAVI COR MEVM AD FACIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS IN AETERNVM, PROPTER RETRIBVTIONEM.

1 ¶ LVCERNA PEDIBVS MEIS VERBVM TVVM, ET LVMEN SEMITIS MEIS.

Quoniam eo tempore, quo duriores passiones offeruntur, feruentius Dei *misericordiam inuocare solemus: cum hæc uehementior tribulatio spiritualis aduenisset, ad legis præsidium, in qua cœlestia dona continentur, mox* Propheta *animum conuertit: cui adeò sese hæsisse domino narrat, ut eam pro duce perpetuò habuerit. hunc in modum exordiés:* LVCERNA PEDIBVS MEIS. *prohibens animæ pedes, ne formidine pœnæ ad malum tenderent,* VERBVM TVVM, *non illud, quod gignenti æquale est, sed uerbum tuum ore hominum in antiqua lege nos instruente prolatum, multa nobis iubens, per quæ in semitis iustitiæ ambulare debeamus: ita ut uerbum, hoc in loco non sit deitas, sed sermo deitatis.* ET LVMEN *clarum, uerbum tuum ore uerbi incarnati prolatum, ipsum uerbum incarnatum ostendens, sicut alibi scriptum est:* Lumen uerum iam lucet. SEMITIS MEIS, *quæ quales sint, alibi dixi: quasi dicat,* sic *enim dignum me hactenus fecisti, in partem sortis sanctorum in lumine.* Quoniam *mandatum mihi lucerna perpetuò est, & lex lux: quarum altera ire nimirum minori lumine instruit, altera uerò gratiæ maiori adiuuat.*

2 IVRAVI ET STATVI CVSTODIRE IVDICIA IVSTITIAE TVAE. *perinde ac si dicat,* Scis domine, *sic charitate comite legi tuæ me hæsisse, ut non solum legem tuam dilexerim, uerum etiam cum charitas tua mecum adesset,* IVRAVI ET STATVI, *firmum propositum per hanc uerborum geminationem ostendés, iuxta illud, iurauit dominus, & non pœnitebit eum.* CVSTODIRE IVDICIA IVSTITIÆ TVÆ, *quæ qualia sint, in primo octonario dixi,*

itaq; legi tuæ hærens, nullam me deinceps afflictionem passurum putabam, immo potius ut in pascuis charitatis uitam ducens, spiritus fructus quasi flosculos singulis quibusq; momentis legerem: sed ecce

3 HVMILIATVS SVM VSQVEQVAQVE DOMINE: VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM. *Ac si diceret, Tu domine legem posuisti mihi, non ut ego solus, sed tecũ cooperando, ea quæ in lege continentur impleam. Respice igitur, quia* HVMILIATVS SVM, *passiue, à spiritibus tentantibus* VSQVEQVAQVE, *hoc est undiq; ita quidem, ut neq; in consueta pace orare me sinant.* VIVIFICA ME, *non autem cum Paulo dixit, stimulum hunc tolle: quandoquidem minimè ne tentemur oramus, sed ne in tentationem inducamur. Viuifica, animæ meæ uires roborando: adauge fidem & charitatem domine, ut sicut abundant tentationes, adiutoria quoq; tua abundent, per Christum dominum nostrum: nam scuto fidei Satanæ resistimus, dum aduersus insidias eius fide stamus, ut per illam omnia tela ignea nequissimi extinguamus. Cum Paulo quidẽ audire optabat, sufficit tibi gratia mea perseuerantiæ usq; in finem, quam totis uiribus Propheta quærebat, Viuifica domine* SECVNDVM VERBVM TVVM, *nobis promissum, quo pollicitus es omnes illos, qui in illo, sic cognoscunt nomen tuum, ut in te sperent, quandocũq; clamauerint, comitari, eripere, ac glorificare non desineres.*

4 VOLVNTARIA ORIS MEI, BENEPLACITA FAC DOMINE, ET IVDICIA TVA DOCE ME. *Quoniam nouerat David illud quod Paulus alibi dixit: Si orem lingua, mens mea sine fructu est: cum se uiuificari obsecrasset, ut uiuificatus fortius tentationibus resistere posset, animaduertens ꝙ tametsi fide, Satanæ resistamus, adhuc tamen tentationes ipsas à quieta oratione, ut mentis non sit, plerunq; orantes auocare: sequentia uerba subnectit:* VOLVNTARIA ORIS MEI, *hoc est, non timore, sed charitatis confessione (ut Augustino placet) operata, beneplacita fac. Aliud*

tamen sensit propheta; qui non dixit uoluntaria opera, sed uoluntaria oris mei, quasi ideo sacrificia laudis plerunq; uoluntaria dicantur, quia propter multitudinem tentationum eò deuenit, ut ore potius & uoluntate inefficaci orauerit, q; quòd sub iudicio rationis recto orationes suæ domino porrigerentur, quamobrem sine fructu se orare uerebatur. BENEPLACITA FAC DOMINE, qui uerbo tuo declarasti perfectionem nostram secundum id quod habemus, te accepturum, Paulo teste, cum ait, Non iam quòd perfectus sim, sequor autem siquo modo comprehendam; quicunq; ergo perfecti sumus, id est uoluntate (Verba hæc Prophetæ obserua lector, pro eo quod scholastici notant, ut ea ratione opera nostra meritoria sint, quia tanquam meritoria & sibi beneplacita à Domino acceptantur) Et non modo beneplacita fac, sed ultra hoc IVDICIA TVA, quæ ego iuraui custodire non solus, sed gratia comite; per nouam gratiam DOCE ME opere in hac quoq; tentatione implere. Sed quare edoceri petis, tu qui iudicia iustitiæ sæpe didicisti, immo & ea seruare iurasti? nempe, quia in noua tribulatione noua gratia egemus. Admiraris fortasse audire lector, hominem sic opprimi à tentationibus Satanæ, ut uolens nequeat orare? Scio enim pium quendam hominem ferme per annos quinque adeò à satana oppressũ, ut cum constitueret orare, sic impediebatur, quòd non nisi magna cum difficultate orare poterat, & plerunq; nullo modo loqui: quinimmo ultra quadraginta uices, populo id uidente, cum ante corpus Christi accedebat orare, à Satana in terram proiectum fuisse, neque aliud remedium inuenisse, q; ab Augustino edoctus, crucis signo in fronte signato integra fide cum Chrysostomo quoque diceret, Abrenuncio tibi Satan, & coniungor per Christũ Deo meo, cuius sanguis sit inter me & te; inde uerò Domino dicebat: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & his uerbis non absq; lachrymis plerunq; dictis, Satanæ uis cessabat.

5 ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS SEMPER: ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

Verba hæc metaphorica sunt, eò quod nullo unquam tempore animam in manibus portamus. Quid autem Propheta per hanc metaphoram senserit, variè coniectant: ita quidem, ut Augustinus alterum duorum dicere coactus sit, vel textum male versum fuisse, & dum dicit meis, dicat tuis, vel si diceret meis, sensum Prophetæ se ignorare. Ambrosius verò dicit, i manibus meis semper. quasi dicat, oĩa quæ operor, pro salute aĩæ operor. Sed hoc in octauo versu Propheta tractat. Hieronymus intellexit, ut anima ipsius sit in eius manibus semper, hoc est prõpta ad martyrium suscipiendum; quæ opinio nequaquam admitti potest, quia promptitudo hæc respicit futurum: & verba illa, legem tuam non sum oblitus, præteritum. Post quos Nicolao de Lyra placuit, idcirco verba hæc in principio octonarij huius poni, ut magnum animæ periculum propter carnis pressuram ostendat. vel aliter (si Ambrosium & Augustinum sequi uis) ut semper Propheta animam Deo offerat, ut uiuificetur; uersus illius memores, quando dixit, Ad te leuaui animam meã, & legem tuam non sum oblitus: sed ibi omnia in præteritum fuerunt: hic autem quædam præsentia, quædã uerò præterita sunt. Alij, quos Hugo refert, dicunt, ut Propheta, qui paulò ante dixerat, Iudicia tua doce me: in hoc uersu causam subiungat, nimirum quia anima mea in manibus meis est semper, parata suscipere doctrinam tuam: sicut alibi scriptum est, sume cultrum (id est diuinum sermonem) qui est gladius spiritus, gutturi tuo: si tamen habes in potestate animam tuam, quasi ad hunc modum anima doctrinam accipiat, nempe iniquitatem excludendo, & legi hærendo: eò quod in animam maleuolam sapientia non intrat, itaq; Prophetam in manibus suis animam tenuisse, pœnitendo se peccasse: ac legi Dei hærendo, à qua spiritualia haurire perpetuò prompta erat: quasi per gradus ascendere (ut Ambrosio placet) optauerit. Mea tamen sententia, minimè super intelligentia uerborum difficultas aliqua est. siquidem metaphora hac hominẽ ostendit, cuius uita uel anima sub periculo mortis manet, ut illud Iobis: Animam meam por

to in

in manibus meis. Ionathas item de Dauide loquens, Posuit animam suam in manibus suis. & Phytonissa, Ecce ancilla tua obediui uoci tuæ, & posui animam meam in manu mea: idq; genus reliqua satis nota. Hinc certè prouenit, ut quandocunq; uel corporis uel animæ periculum timemus, rectè dicamus, Anima mea in manibus meis semper. sed difficultas in hoc consistit, quia his explicatis adhuc ignoramus, quare Propheta hoc in loco sic loquatur: ne forte dicendo, Anima mea in manibus meis semper, et ego legem tuam non sum oblitus, proprias uires extollere uideatur. Res quidem auribus animisq; absurda: quam patres nostri uitare optantes, hos uarios sensus literæ applicauerũt. Nos uerò memores esse debemus, tribulationem hanc spiritualem, tẽpore fidei probatæ, quando in pratis charitatis ambulabat, ipsi Prophetæ aduenisse: in quo statu à Domino petit, ut sicut lex ipsa factorum, lucerna: lex uerò gratiæ, lumen sibi hactenus fuerunt, ita nunc quoq; sint: ut tentatus, in tentationem non incidat, ac incidendo solus animam perdat, hũc in modum orans: ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS SEMPER, iuxta illud, quærunt animam meã. Verius tamen pro anima sic tentatã in hoc uersu stat, quam sub æterno mortis periculo in manibus tempore hoc portabat, quando dæmones illam perdere soliciti erant. quasi dicat: Nosti domine q; tametsi ANIMA MEA, quam durius tentare dæmones nunc uenerunt, IN MANIBVS MEIS SIT, ut aspere tentatus, libero meo arbitrio SEMPER eam perdere possim, id est quandocunq; mihi placuerit; siquidem ad peccandũ solus ego liberum arbitrium habeo, & discedendi à gratia tua: Et tamen LEGEM TVAM, quam posuisti mihi, NON SVM OBLITVS: ut eam à me propter has graues persecutiones abdicauerim, quin potius iusiurandum per quod statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, adamussim hucusq; seruo. Age itaque ut gratiam perseuerantiæ usq; in finem præstes, qua peccata profligamus, & legi tuæ meritoriè perpetuò hæreamus; ne forte si eam non dederis, me inducas in tentationem.

6 POSVERVNT PECCATORES LAQVEVM MIHI: ET DE MANDATIS TVIS NON ERRAVI. *perinde ac si dixisset: Hi dæmones, qui iussu tuo corpus hactenus affligere non desliterunt, animam nunc, te haudquaquam iubente, sed permittente, perdere conantur. Adauge fidem mi Domine, uiuifica me, age ut cum iustis fide uiuam, quoniam* PECCATORES *tentantes me, occultum nunc* POSVERVNT LAQVEVM MIHI, *ut anima pereat. Et tamen ob gratiam, in qua maneo,* DE MANDATIS TVIS *ad hanc usq; horam* NON ERRAVI: *ut inter illos connumerari debeam, qui dixerunt, Errauimus à uia ueritatis, & idcirco adauge fidem & charitatem, ne forte dum animam in manibus porto, ipsam grauiter tentatus perdam.*

7 HAEREDITATE ACQVISIVI TESTIMONIA TVA IN AETERNVM, QVIA EXVLTATIO CORDIS MEI SVNT. *non ut (secundum quosdam) deuotum uirum martyrium optantem Propheta hic loqui fingat: magis autem ut in hoc uersu, posthabitis tentationibus, idem Propheta spem futuræ salutis sibi ipsi proponat: quasi dicat; Non solum in hac angustia legi tuæ hæsi, & ab ea non erraui, sed sic in te spero, ut nunquam ab ea uel momento in futurum discedam, eò quòd* HÆREDITATE ACQVISIVI *pro me, & descendentibus à me, ut cohæredes cum Christo hæreditatis æternæ simus,* TESTIMONIA TVA. *Sed quid est acquirere testimonia? Nil sanè aliud, quàm illis tuam ueritatem testantibus credere. Tu nanq; faciens misericordiam David, & semini eius usq; in seculum, dixisti, Inueni David seruum meum: nihil proficet inimicus cum eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei: in æternum seruabo illi misericordiam meam, & testimonium meum fidele ipsi. Quapropter sic spero, ut in æternum mihi sit promissio hæc ambulandi in pascuis charitatis tuæ, per unicum filium tuum dominũ nostrum Iesum Christum, sicuti literæ Nun significatio docet, quæ unicũ & pascua*

interpretatur. His planè uerbis ego sic credidi, ut nunc sperem hære-ditate acquisiuisse testimonia tua, hoc est contenta in testimonijs tuis, à quibus nunquam discedam. At dices, unde spes hæc præsens? QVIA nunc quoque promissiones istæ in lege contentæ, interea dum tanta pa-tior, EXVLTATIO CORDIS MEI SVNT, quæ à sola charitate tua prouenit: illa uerò æternam gloriam meretur. Sic enim & alibi Dauid, dum uult aduentum charitatis commonstrare, ab effectu gaudij illam ostendit, inquiens: Dedisti lætitiam in corde meo. Secundum multitu-dinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam, & id genus reliqua.

INCLINAVI COR MEVM AD FACIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS IN AETERNVM, PROPTER RETRIBVTIONEM. quasi dicat, Dum in dubio animus erat, & huc atq; illuc propter maximas tentationes im-pellebatur, INCLINAVI huc usq; COR MEVM, te illud inclinante, AD FACIENDAS opere IVSTIFICATIONES TVAS, quibus nos iustificas, & hoc quidem, non ut temporaliter dæmonibus resistendo, aliquod temporale præmium consequerer, sed IN ÆTERNVM, hoc est pro remuneratione æterna, ut sequitur, PROPTER RETRIBVTIO-NEM. quasi dicat, Quanquam factorum lex, lucerna mihi fuerit, non tamen metu pœnæ, sed propter retributionem æternam, quam lex fidei, quæ mihi lumen est, promiserat, ego inclinaui cor meum ad faciendum iustificationes tuas: & idcirco uiuifica mi domine animam meam, ut in æternum mihi sint. Verus hominis pij scopus, ut spe æterni præmij operetur, Paulo teste, cum ait: Qui arat, in spe debet arare; & qui triturat, in spe percipiendi fructus triturare: illorum instar, qui se ca-strauerunt propter regnum cœlorum. Sic enim Propheta alibi inquit: Et iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Hæc Protestantes obseruent quæso, dum omne meritum negant, & taceant, literæ huius

Nun significationem ponderando, quæ unicum & pascua significat, ut ex hoc colligant, omne meritum nostrum, dum operamur in pascuis charitatis ambulantes, per dominum nostrum Iesum Christum Dei unicum filium naturalem nos assequi. Sic enim gratiæ cooperatores sumus, ut in facto proprio beati simus. hoc planè psaltes ipse fatetur in omni opere bono ab eo operato, hoc quoq; in futurum sperat, non autem, quasi solus bene operatus sit, inanem gloriam quærit.

DECIMVS QVINTVS OCTONARIVS.

¶SAMECH ס

Latinè audi, firmamentum, adiutorium.



TIMENS Propheta post spem hanc, sicut sancti uiri facere solent, ne à Dei gratia in qua erat, in hac acerbissima spirituum tentatione excideret, sub litera Samech, quæ adiutoriũ audi & firmamentũ significat, sic ait:

samech 1 INIQVOS ODIO HABVI, ET LEGEM TVAM DILEXI.

samech 2 ADIVTOR MEVS ET SVSCEPTOR MEVS ES TV, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

samech 3 DECLINATE A ME MALIGNI, ET SCRVTABOR MANDATA DEI MEI.

samech 4 SVSCIPE ME SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, ET VIVAM, ET NON CONFVNDAS ME AB EXPECTATIONE MEA.

samech 5 ADIVVA ME ET SALVVS ERO, ET MEDITABOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS SEMPER.

Samech 6 SPREVISTI OMNES DISCEDENTES A IVDICIIS TVIS: QVIA INIVSTA COGITATIO EORVM.

Samech 7 PRAEVARICANTES REPVTAVI OMNES PECCATORES TERRAE: ET IDEO DILEXI TESTIMONIA TVA.

Samech 8 CONFIGE TIMORE TVO CARNES MEAS: A IVDICIIS ENIM TVIS TIMVI.

1 INIQVOS ODIO HABVI, ET LEGEM TVAM DILEXI. *Quoniam mos est Prophetæ, cum aliquid à Deo petit, pro causa quare exaudiri speret, hoc sibi oranti coram Deo proponere, nempe quia hæsit legi suæ, proinde & sibi in lege contento; sub litera samech firmamentum gratiæ, in qua erat optans, hunc in modum loquitur,* INIQVOS, *iniquitatem actu operantes, dæmones ipsos me acerbè nunc tentantes,* ODIO HABVI, ET LEGEM TVAM, *quæ illos pariter odit,* DILEXI, *quasi propterea illos odio habuerit, quia legem dilexerat; & hoc quidem non proprijs uiribus, sed gratia tua siquidem*

2 ADIVTOR ET SVSCEPTOR MEVS ES TV, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI. *quasi dicat, Non ego ille sum, qui solus uel omnibus tentationibus restiterim, uel propriam salutem tum æternam tum temporalem operer; sed quia* ADIVTOR *fortis* ET SVSCEPTOR MEVS ES TV, *qui ab utero, à peccato, à temporali morte, ac etiam à perpetua me suscipis: neq; ita das, ut iterum non des, sed habenti rursum dones: ob quod* ET, *id est non solum speraui, uerum etiam* IN VERBVM TVVM, *per quod sæpe utrāq; salutē per Christū uerbum tuū promisisti,* SVPERSPERAVI. *quasi dicat: Ecce domine in quo statu sum firmus in fide contra dæmones tentantes me, nō solus, sed gratia tua mecū, tibi integrū opus ac-*

ceptum fero. Audi me domine. Quem sic orantem Deus audiuit, charitatemq; in eius corde adauxit: qua aucta, uiribus fortioribus susceptis, ad dæmones se conuertit inquiens: Audite uos dæmones literæ proprietatem Samech, ut uideatis me supra firmum fundamentum, Christum nimirum, ædificare, cuius imperio uos resistere non potestis.

3 DECLINATE A ME MALIGNI, ET SCRVTABOR MANDATA DEI MEI. et nō dixit, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē: pedetentim imperare incipit, agnoscens militiā huius mundi necessariā esse, de qua nunc tractat: sed dixit: DECLINATE, quod uerbū propriū est digladiatoris succūbentis, q interea dum confligatur, præ timore huc uel illuc arma flectit. MALIGNI, secundum ueram eorum qualitatem illos uocans: quandoquidem etsi dæmones iniqui & impij sint, propria tamen qualitas ipsorum malignitas est, quasi peruersa, ac deprauata eorum uoluntas perpetuò sit. ET uobis declinantibus SCRVTABOR MANDATA DEI MEI. non q interea dum tentamur, mandata Dei non scrutemur, sed quia deuictis tentationibus suauius, ac maiori cum animæ quietæ legem scrutamur: ostendens nobis, hoc esse officium illius, qui per Dei misericordiam à tribulationibus liberatur, quippe in domo domini omnibus diebus uitæ suæ habitare: ubi absq; intermissione, uociferationis hostias ei reddat, legemq; eius scrutetur. Audi rursum tu Domine, quoniam etsi firmamentum iuxta literæ Samech significationem inuenerim gratia tua, qua Satanæ restiti, non tamen gratia adeò firma est, ut in ea tanquam firmamento gratiæ perseuerandi usq; in finem assequutæ iam uitam ducere audeam: ad te uenio, qui uerum firmamentum es, ut gratiam hanc præstes, ut sequitur.

4 SVSCIPE ME SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, ET VIVAM: ET NON CONFVNDAS ME AB EXPECTATIONE MEA. gratiam perseuerantiæ usq; in finem optans ab eo, qui uerum firmamentum est,

ait: Quæ est illa, quæ ascendit dealbata, incumbẽs super fratruelem? perinde ac si dicat: Audi me domine, qui suprà confessus sum te adiutorem & susceptorem esse, & SVSCIPE ME SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, per quod me suscipere promisisti: in quod ego supersperaui, ut in futurum id ipsum semper ageres, eloquium inquam, ut non discederes à me usquequaq;: itaq; opus quod cœperas, perficeres, me conseruando usq; in diem Christi. Hoc fac domine, ET VIVAM, uita gratiæ nunc, deinde uerò uita gloriæ in futurum. ET NON CONFVNDAS ME AB EXPECTATIONE MEA. quod eueniret, ubi tu uerum firmamentum per gratiam tuam non adesses semper, non quidem certus sum futuræ salutis: illam tamen plenus spe, fide & charitate expecto, atque interim fide uiuo propter multa, quæ animæ meæ fecisti.

5 ADIVVA ME, ET SALVVS ERO, ET MEDITABOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS SEMPER. quoniam dixerat suprà, Deum esse adiutorem suum, idcirco nunc dicit, Scio domine, quòd nemo absq; tentatione uiuere potest: Scio item omnes succumbere, nisi firmissimo adiutorio tuo adiuuentur: siquidem nos Dei adiutores sumus. ADIVVA ME igitur tu qui suscepisti, ne inducar in tentationem. ET SALVVS ERO. sic enim & Hieremias dicebat: Salua me, & saluus ero. ET si gratia tua mecum erit, tametsi potenter principes huius mundi me inuaserint, etiam in medio illorum MEDITABOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS: ut quamlibet tentatus, beatitudine æterna, spe in uia quoq; sic tentatus fruar.

6 SPREVISTI OMNES DISCEDENTES A IVDICIIS TVIS: QVIA INIVSTA COGITATIO EORVM. iuxta ac si dicat, quare ne spes hæc frustretur, paueo? Non'ne hoc uno argumento spem meam salutis certã esse considerare possum? tu enim SPREVISTI OMNES, hoc est reprobasti omnes DISCEDEN-

TES à lege tua, quasi in totum discedentes, quanau..
nec non seruasse eos pœnituit, obstinatos scilicet, qui absq; pœnitentia pereunt. A IVDICIIS TVIS, in lege tua æterna contentis, nimirum diabolos, quos è cœlo deiecisti, et filios suos, quotquot obstinati pereunt, eam ob causam ab æterno reprobasti, QVIA INIVSTA, id est perpetuò iniusta COGITATIO EORVM, ut in eorum obstinatione uiuant: inter quos connumerari (ut puto) ego non potero, siquidem gratia tua legem nunc seruo, & in præteritum eam non seruasse me pœnitet.

7 PRAEVARICANTES REPVTAVI OMNES PECCATORES TERRAE: ET IDEO DILEXI TESTIMONIA TVA. placuit quibusdam, id ipsum hic Prophetam sensisse, quod Paulus dicit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Iesu Christo. Tu autem explicando uerba ista, PRÆVARICANTES REPVTAVI OMNES PECCATORES TERRÆ, Glossam sequere: quæ ponderat, haudquaquã simpliciter dixisse peccatores, sed peccatores terræ, ad differẽtiam peccatorũ cœli: quasi aliud sit quempiam oĩno à mandatis discedere, quemadmodũ diaboli cœli peccatores fecerunt: quos sic spreuisti, ut illos nunquam deinde uocares, aliud uerò ꝙ præuaricatores sint, prout homines peccatores terræ sunt: qui etsi contra legem peccauerint, minime illos tu spernis, sed pœnitentiæ locum ipsis relinquis, immo tu illos ad pœnitẽtiam adducis, quemadmodum patrem nostrum Adam uocasti, inquiens, Adam, ubi es? Hac sane ratione præuaricantes, non autem discedentes reputaui omnes peccatores terræ, inter quos unus ego sum, cui totiens, dum in uia actiua pœnitentia egerem, tu illam dedisti. ET IDEO, id est quia peccatores terræ præuaricantes, non autem discedentes à iudiciis tuis sunt: cum ego peccator terræ essem, tu me ad pœnitentiam adducebas DILEXI TESTIMONIA TVA: Consuetus Prophetæ mos, ut ex dilectione unius sese alterum contemnere ostendat; uti econtrario iniquos odio habendo

legem

[...]t, quasi dicat, Hæc cum ita se habeant, quare paueo? [...]ndebis, quæ certitudo hæc tua est, ut propterea, quia diligis testimonia, scias te inter reprobos non connumerari? pro quo ego nunc loquar: Cum enim ipsam legem scrutarer, quæ nil aliud ferme agit, q̃i ut nos, ne peccemus, hortetur, uel ubi peccauerimus, ad pœnitentiam nos uocet: ego qui unus ex istis sum, mox hos discedentes spreui: ac spernendo, dilexi testimonia tua, quæ animam meam ad pœnitentiam uocabant. Legi sanè munus hoc acceptum ferendum est, siquidem illa ad firmamentum gratiæ nos reducit: gratia uerò duo confert: alterum, ut à peccato per pœnitentiam resurgamus; alterum, ut per eandem gratiam rectè in uia ueritatis et iustitiæ incedamus, quasi hærere legi, firmissimum fundamentum signumq; magnũ prædestinationis nostræ sit: impœnitentia uerò, quæ deinde in obstinationem transire solet, reprobationis signum:

CONFIGE TIMORE TVO CARNES MEAS, A IVDICIIS ENIM TVIS TIMVI. Hic Propheta optans omnem pauorem excludere, & sub tuto firmamento gratiæ Dei animam stabilire, quo duce omnes tentationes excludere posset, eodem modo quo alibi ait: Firmamentum est dominus timentibus eum, & testamentum illius, ut manifestetur illis, nunc quoq; cum Deo loquens, Audi me domine, inquit: & TIMORE TVO filiali, aut saltem initiali, qui charitatem secum habent, et uerum firmamentum bonæ uitæ sunt. CONFIGE CARNES MEAS. carnes ipsas, carnis propensiones uocans: perinde ac si dicat, Age mi domine, ut inter illos connumerer, qui cum uitijs crucifixerunt carnem suam. fac, ut dicere deinceps audeã: Christo confixus sum cruci: uiuo iam non ego, uiuit in me Christus. Quod autem nunc uiuo in carne, in fide filij Dei uiuo, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. siquidem ubi hoc assequutus fuero, tunc cum Paulo audacter, dæmonibus quoq; tam acriter nunc me tentantibus dicam: De cætero nemo mihi molestus sit: ego stigmata domini nostri ie[-]

su, in corpore meo porto. Et ne Deus ei respondeat, ... dubitasti? rationem affert: A IVDICIIS ENIM TVIS TIMVI, ... dum in lege pœnam malè actæ uitæ te cominatum fuisse expendo: tum etiam cum diem illam menti propono, in qua omnes, qui mala egerint, in ignem æternum tua sententia eodē modo condemnabis, quo ab æterno reprobati fuerunt: ne forte propria culpa obtentam gratiam deperdam, & ego ex illis unus sim. Sic enim Paulus quoq; dixit: Nil mihi conscius sum: non tamen in hoc iustificatus sum, Deus est qui iustificat me. Deinde uerò dubitauit, ne dum alijs prædicabat, non castigādo corpus suum ipse reprobus fieret. Isthæc omnia Propheta cogitabat, quibus æternam salutem sperauit, talisq; eius finis gratia Dei fuit.

DECIMVS SEXTVS OCTONARIVS.

AIN ע

Latinè oculus, fons.



DIXERAT alibi Dominus: Et cum omnia hæc feceritis, dicite, Inutiles serui facti sumus, id quod debebamus fecimus; ostendens nobis, misericordia in primis nos saluari; quasi gratia urgeat, quæ ut bene ac meritoriè operemur, præuenit, atq; ipsum hominē cooperantem in opere meritorio adiuuat, & deniq; opus tanquam meritorium acceptat †. Ad quæ animaduertens Propheta, cum ad literā Ain peruenisset, quæ oculum & fontem significat, liberatus aliquantulum à crebris tentationibus Satanæ, non autē ut nullo modo tentaretur; cœpit (spe beatus in uia pergens) oculos in Christum uerum misericordiæ fontem, qui in euangelica lege continetur, dirigere: confitens lumine legis et gratiæ ope omnia consummasse, ac se in sola Dei misericordia per Christum perpetuò sperare, ut tandiu ex uno bono in aliud bonum, quasi per gradus illum

† Tho. li. 2. sen. dist. 27 c. in fine et ibi Scotus.

principaliter per Dei misericordiam, & tanquam secunda causa propter iustitiam gratia duce cooperatam, re summo bono fruatur; pro qua salute obnixe orat: petens ne iterum eisdem frequentibus tentationibus uexaretur, rationesq; affert, quare in præsentia sua persperet, ut debeat exaudiri, omnemq; pauorem foras mittere, ut intrepidè spem iustitiæ fide, quæ per charitatem operatur, expectet.

Ain 1 ¶ FECI IVDICIVM ET IVSTITIAM: NON TRADAS ME CALVMNIANTIBVS ME.

Ain 2 SVSCIPE SERVVM TVVM IN BONVM: NON CALVMNIENTVR ME SVPERBI.

Ain 3 OCVLI MEI DEFECERVNT IN SALVTARE TVVM, ET IN ELOQVIVM IVSTITIAE TVAE.

Ain 4 FAC CVM SERVO TVO SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM, ET IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

Ain 5 SERVVS TVVS SVM EGO: DA MIHI INTELLECTVM, VT SCIAM TESTIMONIA TVA.

Ain 6 ¶ TEMPVS FACIENDI DOMINE: DISSIPAVERVNT LEGEM TVAM.

Ain 7 IDEO DILEXI MANDATA TVA SVPER AVRVM ET TOPAZION.

Ain 8 ¶ PROPTEREA AD OMNIA MANDATA TVA DIRIGEBAR: OMNEM VIAM INIQVAM ODIO HABVI.

1 ¶ FECI IVDICIVM ET IVSTITIAM: NON

TRADAS ME CALVMNIANTIBVS,

prophetam scripturam dicere, quoniam amat iudicium dominus; non aes relinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur, quousque iustitia conuertatur in iudicium: Educet quasi lumen iustitiam, & iudicium tuũ tanquam meridiem. Subditus esto domino, & ora eum. His auditis, ad uerum fontem oculos conuertens, in hunc qui sequitur modum orat: FECI IVDICIVM, non eo modo quo iudicium & iustitia populo ministratur: sed dum à te illuminatus, inter carnem & spiritum iudicaui. Verum quia iudicium plerunq; potest esse malum, ut de bono iudicio se sensisse cõmonstret, subiungit: ET IVSTITIAM, hoc est opus iustitiæ, quod ex bono iudicio profectum est, gratia tua in anima infusa: non solus, sicut Pelagiani putabant solam facilitatem bene operandi à gratia nos obtinere, non sic, immò potius ut potentia, uoluntas operandi, et actus à Deo sint: qui in nobis cooperantibus bonum opus iustitiæ operatur, pascens nos in iudicio & iustitia, quemadmodum per os Ezechielis promiserat. Non secus ac si dicat: feci iudicium, id est tu inter carnem & spiritum me facere fecisti iudicium, qui iudicium et iustitiam in Iacob fecisti, capiens iudicium pro ipso actu iudicandi, & iustitiam pro opere iustitiæ, non autem pro ipsa iustitia: eò ꝙ iustitia, inquantum est uirtus increata, in solo Deo manet. Sed quia non sufficit iudicium fecisse, nisi usq; in finem eadem iudicia faciamus: Tu domine, qui iudicium me facere fecisti, hoc quoq; præstare digneris, ut gratia tua perseuerandi usq; in finem adsit, & NON TRADAS ME, quod fieret, si per gratiam me in statu bono conseruantem non adiuuares. CALVMNIANTIBVS ME, hoc est dæmonijs calumniose tentantibus me, à quibus paulò ante me in præcedenti octonario eripuisti. Age domine ne me inducas in tentationem.

¶SVSCIPE SERVVM TVVM IN BONVM: NON CALVMNIENTVR ME SVPERBI. quasi dicat, quoniam ego seruus tuus sum, redemptus sanguine tuo, & in

per gratiam tuam collocatus: tu quoq;, qui redemisti, , quemadmodum te decet, qui redemptor & susceptor simul es, SERVVM TVVM IN BONVM. hoc est, ut à bono, in quo gratia tua impræsentiarum sum, in maius bonum suscipiar, ita ut perpetuò in bonis operibus uitam ducam, sicut scriptum est, Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore, NON CALVMNIENTVR ME SVPERBI dæmones, qui calumniatores sunt: hoc est, ut ipsis tentantibus, propter eorum calumnias, à bono in quo uiuo, desiciam. sic enim adiutus, ob gratiam tuam, quæ mecum erit, uita in æternum uiuam.

3 ¶ OCVLI MEI DEFECERVNT IN SALVTARE TVVM, ET IN ELOQVIVM TVVM.

Optans Propheta regnum peccati destrui, cum in duobus præcedentibus uersibus ne induceretur in tentationē rogasset, memor Deum gratia sua per Christum saluos facere filios pauperum, & secundum iustitiam calumniatorem humiliare: secundum literæ proprietatem (quæ oculum & fontem significat) oculos mentis in Christum, qui uera oculorum lux est, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundū, direxit, à cuius fonte illam haurimus aquam, quæ ad uitam æternam nos perducit, inquiens, OCVLI MEI, duo intellectus, quorum unus misericordiam tuam in salutem pauperū, alter uerò iram in calumniatorem conspiciebant, DEFECERVNT IN expectando (uolens ijs uerbis summum desiderium rei expectatæ demonstrare) SALVTARE TVVM Christum contentum in lege tua: per quem (humiliatis calumniatoribus) ego pauper saluabor. ET IN ELOQVIVM IVSTITIÆ TVÆ Christi, per uocem salutare, redemptionem à Christo faciendam significans: per uocem uerò, eloquium, ipsam legem loquentem intelligens, quæ de ipso Christo loquitur, qui iustitia Dei est (iuxta illud Pauli. iustitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in fidem) optans ut regno Dei introducto peccati regnum destrueretur. Sciuerat planè

(cum Iobe) redemptorem suum uiuere, in quem spei
in summum bonum pro sua misericordia susciperet, calumi......
rò humiliaret.

4 ¶ FAC CVM SERVO TVO, qui in futurum Messiam credit, & ipsum redempturus sit, SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM; qua motus Christum redemptorem nostrum mittere promisisti. ET, quo illius iustitiam participare queam, tu qui nos trahis ac doces, ut edocti ad ipsum accedamus, IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME. At dices, quam doctrinam petis, qui totiens iustificationes didicisti? nempe ut in fide, qua uiuo, sic à te edoctus sim, ut conseruer: quandoquidem si dominus per momenta non doceret, & homo doctrinam non acciperet, minimè in bono statu se conseruare quiret; docetur autem per donum intellectus: quod in sequenti uersu petit.

5 ¶ SERVVS TVVS SVM EGO: DA MIHI INTELLECTVM, VT SCIAM TESTIMONIA TVA. ubi ea ex ratione Propheta ab hoc fonte uberrimo rursus donum intellectus petit, quia non sufficit (secundum Augustinum) semel donum intellectus accepisse, nisi semper accipiatur: cum ut ipsum Deum, eiusq; mirabilia scrutemur, tum etiã ut uitijs careamus. Pelagus sanè ĩmensum luminis est, oculos nostros illuminans, in quo scrutãdi finis minimè inuenitur: quapropter necessum est, ut ita detur, ut nobiscũ (sicut Cassiodoro placet) perpetuò stet: quod est scire, quasi absq; inter missione scire: ne forte dono hoc intellectus submoto, ignorantes efficiamur, et propter ignorantiã peccemus. SERVVS TVVS SVM EGO, qui à te redẽptus summo gaudio in hoc bono statu gratia tua comite iustitiæ tuæ seruio. DA MIHI INTELLECTVM, VT SCIAM opere quoque intellectu actiuo TESTIMONIA TVA; de quibus alio in loco loquuti sumus: itaq; doctus, medio donorum in testimonijs tuis contentorum, omnibus tentationibus resistere possim. Hactenus prima pars, in qua redemptorem ad sui commodum expectat: sequitur secunda, in qua

verborum aduenire obsecrat.

6 ¶ TEMPVS FACIENDI DOMINE: DISSIPAVERVNT LEGEM TVAM. Memor psaltes per os suum dominum dixisse, Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit: omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt usq; ad portas mortis: misit uerbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. ex his rationem haurit, quare Deus ipse propter se, protinus debeat hos calumniatores per Christi aduentum expellere, perinde ac si dicat, Quid moraris? TEMPVS FACIENDI DOMINE aduenit, ut nobis hunc in modum sitientibus, fontem illum, quem daturus es, aperias: qui siti huic nostræ succurrat, & calumniatores humiliet. Dixisti nanq;, post dissipationem legis tuæ, Messiam uenturum: ecce uerba tua iam impleta sunt, quia DISSIPAVERVNT LEGEM TVAM. hoc est, aliter uiuitur, q; legis præcepta iubeant. peruersè item legis tuæ uerba explicantur: itaq; illam dissiparunt, ut nudum nomen legis retinens, absq; una substantia (hæreditatis dissipatæ instar) lex ipsa penes ignorantes peccatores permanet. Ne moreris igitur domine, quia tempus faciendi est, ut mittas filium tuum nos saluare, & inferni regnum destruere. Age domine, ut sicut per legem abundauit delictum: per Christum, gratiæ fontem, ipsa quoq; gratia abundet. econtrario uerò sicut illorum superbia abundauit, ad summum in aduentu filij tui humilietur. Verùm quia dici poterat, Quis tu es, qui te ciuem cœlestem facis? non'ne & tu legẽ aliquando dissipasti? Commemora peccata tua, quæ cõmisisti, tacitè hunc in modum respondet, peccatorem me esse fateor, dissipatorem nequaquam.

7 ¶ IDEO DILEXI TESTIMONIA TVA SVPER AVRVM ET TOPAZION. quasi dicat, IDEO, quia dissipator non fui, quando filij Satanæ ita dissipauerunt legem tuã, ut ferme in corde eorum extincta esset, immo potius cum dissiparetur, feruẽtius DILEXI MANDATA TVA oĩa, pœnitẽs me aliquando peccasse: amans

tis patris instar, qui tunc feruentius eos diligit, quum periculum in aliqua ægritudine magis instat. Non quidem *[illegible] dilectione dilexi, sed* SVPER AVRVM ET TOPAZION. Et *dicit super, non autem sicut aurum & topazion, ut per hanc metaphoram ostenderet dilectionem hanc omnem terrenam dilectionem superasse.* Minimè *quidem quicquam temporale optabat, sed ipsam iustitiam conseruare elaborabat, qua nil melius est, nimirum eo bono, quo ipse homo fit bonus, & quia tantopere legem diligebam.*

8 ¶ PROPTEREA AD OMNIA MANDATA TVA DIRIGEBAR: OMNEM VIAM INIQVAM ODIO HABVI. *Quæ uerba hoc modo interpretemur:* PROPTEREA, *quia gratia tua mecum erat, quæ præstitit ut dissipator legis non essem.* AD OMNIA MANDATA TVA, *quorum duæ partes sunt, altera ut uoluntas tua seruetur, altera ut eam non seruasse nos pœniteat,* DIRIGEBAR, *passiuè, quasi dicat; gratia tua per* Iesum Christum *facta, quandocunq; rectè ambulaui, dirigebar: itaq; dirigebar, ut non solum omne peccatum præteritum pœnitentia excluserim, uerum etiam* OMNEM VIAM INIQVAM *ad peccatum dirigentem,* ODIO HABVI. *firmum propositum non peccandi retinens, quomodo ergo inter eos, qui legem dissipauerunt, connumerari potero? oculos rursum spe refertus attollens, credens eum, qui gratiam ad seruandum mandata in præterito præstitit, & in futurum præstaturum esse, ut gratia* Dei *per* Christum *calumniatores omnes expellat.* Vsq; *huc sexta pars tertiæ partis psalmi, in qua spirituum tentationem, atq;* Dei *adiutoria* Dauidem *enarrasse nemo negabit, qui tres octonarios præcedentes ad radices usq; perpenderit.* Superest *modo ut deinceps pastorem hunc à tribus persecutionibus afflictum cithara præ-dulce canentem audiamus, dum mirabiliaq́, quæ ipse hoc afflictionis tempore ab hoc fonte hauserit, orando ecclesiæ narrat.*

DECI-

IMVS SEPTIMVS OCTONARIVS.

ℭ P PHE ק
Latinè, erraui, os operui.



QVONIAM *sancti uiri debellatis superbis, non solum mente, quasi cum Deo loquentes, gratias quas obtinuerunt, contemplari solent, uerum etiam carneo ore hostias uociferationis exhibere obligantur, quemadmodum alio in loco Propheta inquit: Confitebor tibi in populis domine, et psalmũ dicam tibi in gentibus, Domine saluos nos fac, et psalmos nostròs cantabimus cunctis diebus uitæ nostræ in domo domini: & iterum, sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam. hinc Propheta, ne inter illos nouem mundatos connumeretur, qui gratias cum decimo non reddiderũt, liberatus iam à persecutionibus Saulis & Absalonis, atq; inferni calumniatoribus deuictis, cum ad literam Phe peruenisset, quæ errraui & os aperui significat, modum in primis ostendit, quomodo Dei mirabilia, quæ enarraturus est, cognouerit: Secundo uerò loco propria peccata detestatur, quod est errare, ac iustè afflictum se proinde fuisse confiteri: Tertio Dei bonitatem & misericordiam ecclesiæ narrat: Et quarto ad ipsius misericordiam recurrens, eandem gratiam perseuerantiæ usq; in finem petit, pro qua hactenus orauerat, aq; ad mortem usq; orabit, docens nos, ut tunc maximè oremus, quando in statu gratiæ uitam ducimus, conseruantem gratiam in nobis stabiliri postulantes: ne de proprijs uiribus confidentes, à gratia in qua sumus excidamus. Superest igitur, ut cum Propheta, qui os suum aperit, & carne cruci affixa, Dei mirabilia in tribus octonarijs sequentibus narrat: oculos & aures proprias nos quoq; aperientes, dulcissimam melodiam regij pastoris huius gustantes, dum ea omnia, quæ in uita actiua, in qua frequentius peccamus, Dei bonitas peccatori largitur, prin-*

cipio ostendit: deinde uerò cætera, quæ in uita conten..
perpendit, fratribus recenset: Dominum subinde obsecrans, ut ipsum ..
cæteris afflictionibus liberare, eiusq; animam saluare dignetur: optans
in sua senectute aliquantulum refrigerari, antequam abeat, & amplius
non erit. Dixerim hæc, ut uos lectores, qui pastorem hunc modulatè
canentem audire optatis, non aliter uos hoc assecuturos putetis, nisi se-
quentes uersus ad præcedentes octonarios, quantum licebit, uerba uer-
bis conferentes, sigillatim referatis: quandoquidem Propheta illa hic
contemplatur, quæ opere in actiua uita & contemplatiua Dei gratia
cognouit, quod facere si neglexeritis, nunquam psalmum hunc intelli-
getis. Diuiditur autem in partes duas. Prima usq; ad uersum, Aspice in
me, in qua nil aliud agit, quàm ut os aperiat Dei mirabilia enarrando.
In secunda uerò ad finem usq;, preces ut conseruetur, domino offert.
Dauidem itaq; sic loquentem pro faciliori uersuum horum intelligentia
introducamus, ut principio domino dicat: Exaltabo te domine, quoniam
suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Deinde uerò ad
fratres conuersus, subiungat: venite & uidete, & narrabo, omnes
qui timetis Deum, quanta fecit animæ suæ.

Pe 1 ¶ MIRABILIA TESTIMONIA TVA: IDEO SCRVTATA EST EA ANIMA MEA.

Pe 2 DECLARATIO SERMONVM TVORVM ILLVMINAT, ET INTELLECTVM DAT PARVVLIS.

Pe 3 OS MEVM APERVI, ET ATTRAXI SPIRITVM, QVIA MANDATA TVA DESIDERABAM.

Pe 4 ¶ ASPICE IN ME, ET MISERERE MEI SECVNDVM IVDICIVM DILIGENTIVM NOMEN TVVM.

MEOS DIRIGE SECVNDVM
ELOQVIVM TVVM: ET NON DOMI-
NETVR MEI OMNIS INIVSTITIA.
re 6 REDIME ME A CALVMNIIS HOMI-
NVM: ET CVSTODIAM MANDA-
TA TVA.
re 7 FACIEM TVAM ILLVMINA SVPER
SERVVM TVVM: DOCE ME IVSTI-
FICATIONES TVAS.
re 8 EXITVS AQVARVM DEDVXERVNT
OCVLI MEI: QVIA NON CVSTO-
DIERVNT LEGEM TVAM.
1 ¶ MIRABILIA TESTIMONIA TVA: IDEO
SCRVTATA EST EA ANIMA MEA. *Quoniam beatitudo nostra, qua spe in uia fruimur, ex reuelatione supernorum constat, quemadmodum dominus testatus est, quando dixit Petro, Beatus es Petre, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlo. & iterum Beati estis, qui ea auditis & uidetis, quæ alij uidere & audire optarunt, atq; alio in loco: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt; ad hoc animaduertens Propheta, qui uitam beatam ducit, cum principio psalmi dixisset, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: exauditus iam, totaq; lege funditus perspecta, quasi cum Deo loquens, omnia quæ ei hactenus reuelata fuerant, in quibus beatam uitam ducebat, minutatim narrat, inquiens,* MIRABILIA TESTIMONIA TVA *sunt, quæ in primis admirabilem bonitatem tuam ostendunt, quia tanta & talia hominibus propter bonitatem tuam contulisti, non humana ui, sed diuina, & idcirco mirabilia. Mirabilia item testimonia tua, quæ mirabilia opera tua, in his quæ sola potentia tua creasti, testantur: de quibus alio in loco Propheta dixerat; Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Mirabilia*

quoq; supra omne mirabile, quandoquidem lex ipsa diui... et trinitatis personas, uerbi incarnationem, angelorum choros, et caetera arcana coelestia hominibus patefacit; secundum quos modos, & alios multos, qui coaceruari possent, ipsa testimonia ratione eorũ mirabiliũ, quae continent, meritò mirabilia dicuntur: & deniq; eam ob causam mirabilia, quia id quod extrinsecus legitur, litera mortua absq; spiritu uidetur, intrinsecus autem spiritum Dei uiuentis continet: de quo Paulus loquens sic ait: Nos ministros fecit, non literae, sed spiritus, qui absq; alio doctore nos per unctionem suam docet: quemadmodum paulò post in sequenti uersu subiungit, & IDEO, *quia spiritum docentem in se habent, tametsi literas non calleam, amore allectus, cum illa spiritus me docebat,* SCRVTATA EST EA *testimonia* ANIMA MEA. *& dicit anima, quia in toto corde scrutatio fuit, iuxta illud, Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. At si dicatur, quomodo lex ipsa te ista docuit? modum subiungit:*

a ¶ DECLARATIO SERMONVM TVORVM ILLVMINAT, ET INTELLECTVM DAT PARVVLIS. *quam uocem, declaratio, quidam uertunt manifestatio. Lutherus uerò (secundum Hebraeos) apertum seu ostium, per quod lucem intromittimus. Vtcunq; tamen sit, summa, clara omnium uoce haec est, ut Dei spiritus in lege contentus, tanquam ostiarius, qui lucis ianuam mentibus nostris aperit, ipsam legem seruantibus declaret. Sed quibus ipsam declarauerit, plus uel minus, in hoc Lutherus hallucinatur, putans haereticos per legem Deum illuminare; quorũ corda ut plurimum, postq; proprio iudicio condemnati sunt, denegando eis lumen indurat: minimeq; uela auferens, in propria caecitate illos uiuere sinit: ut illi seruiant, cui contempta ecclesia catholica (cuius filij esse deberent) seruire constituerunt. Siquidem non sufficit, ore se Christi esse palàm praedicare, nisi ecclesiam in modo confitendi sequatur, Propheta utrunq; simul dicente, Ego seruus tuus, & filius ancillae tuae.*

...MONVM TVORVM, id est spiritus tuus, qui declaratio est sermonum tuorum, quos tum sanctorum Patriarcharum, tum Prophetarum ore hactenus audiuimus: Spiritum sanctum his tribus uerbis commodè cômonstrans, eò quòd solius spiritus Dei est, eiusdem Dei uerba declarare, qui profunda intelligit. quasi dicat, spiritus qui declaratio sermonum tuorum est, ille ILLVMINAT ET INTELLECTVM DAT PARVVLIS. non secus ac si dicat, Ideo scrutata est mirabilia testimonia tua anima mea, quia Spiritus sanctus in illis contentus, qui sermones tuos declarat, minimè secundum homines docet; ut legendo paulatim scientiam acquiramus, sed ILLVMINAT immediate, ut reuelatis oculis mox Dei mirabilia cernere queamus. ET INTELLECTVM, id est intellectus donum DAT. quo uerbo idcirco utitur, ut per uocem hanc, dat, ipsam infusionem, non autem agnitionem intelligamus; aliud esse ostendens id, quo in spiritu est, nimirum illuminare: aliud uerò donum intellectus, quod dat PARVVLIS, id est humilibus ignorantibus, sicut scriptum est, Reuelasti ea paruulis: non autê perfidis atque superbis hæreticis, quibus lumen intelligendi aufers: ut qui ueritati credere noluerunt, credant mendacio. sed dic, quæso, ò Dauid, quo ordine Deus ipse intellectum dat?

3 OS MEVM APERVI, ET ATTRAXI SPIRITVM: QVIA MANDATA TVA DESIDERABAM. quæ uerba cõmuni sententia sic interpretantur, OS MEVM APERVI, confitens me mandata implere non posse. ET, post hoc unde facerem ATTRAXI, itaq; infirmus spiritus meus, Dei spiritũ suscepit. Tu autem considera nil aliud Prophetã hic agere, nisi mirabilia, quæ tam in uita actiua q̃; in uita contẽplatiua uidit, ecclesiæ recensere. Et hoc præcognito finge Dauidem sic locutum esse: O domine, non'ne mirabile hoc fuit, ut ob hoc dũtaxat, QVIA TESTIMONIA TVA ĩtelligere et facere DESIDERABAM, quãdo dixi: Vtinã dirigantur uiæ meæ ad custodiẽdas iustificationes tuas (secundũ ordinem, quẽ super uerbis illis, Con-

cupiuit anima mea desiderare iustificationes tu..

clarauí) ego OS MEVM *uoluntatis, per liberum arbitrium.* ... ... *m* APERVI, *sitientis instar, qui frigidam aquam appetens, ante illius ad-uentum os sitibundus aperit.* ET, *tu sapientiam tuam supernam immi-sisti: qua adueniente* ATTRAXI SPIRITVM *tuum uiuentem, qui me absq; labore omnia docuit: ad illum sanè modum, secundũ quem aerem nihil laborantes attrahimus, quæ omnia non ideo dedisti, quia aliquid ego tibi prius dederim, sed quia spiritus ubi uult spirat, propter pro-priam bonitatẽ tuam, qui malis quoq; bona dare nosti: habilitans prius nos, ut tibi cõplaceamus, ac cõplacendo, deinde in nobis habitare queas.*

4 ¶ ASPICE IN ME, ET MISERERE MEI SE-CVNDVM IVDICIVM DILIGENTIVM NO-MEN TVVM. *hic orare incipit, inquiens:* ASPICE, *siquidem aspiciendo gratiam confert: Et non dicit* Aspice me, *ut uideas qualis sim: sed* ASPICE IN ME, *gratiam uel conferendo, uel eam, in qua sum confirmando, ne in futurum cadam: & pro præteritis* MISERE-RE MEI, *ut pœnam quoq; remittas,* SECVNDVM IVDICIVM DI-LIGENTIVM NOMEN TVVM. *Quale autem iudicium hoc sit,* Hie-*ronymus &* Cassiodorus *declarant: hoc est, ut illo me iudicio iudices, quo reliquos, qui diligunt nomen tuum, iudicare soles, eò q iudicium di-ligentium nomen tuum (ut* Cassiodoro *placet) diligentibus te, miseri-cordiæ auxilium elargitur: petitio planè iusto uiro conueniens, qui li-beratus iam ex toto corde domino seruit, optans ab omni iusta pœna eximi, sicut à culpa liberatus est: illius psalmi memor, in quo culpam quoq; sibi remitti orauit..*

5 ¶ GRESSVS MEOS DIRIGE SECVNDVM E-LOQVIVM TVVM: ET NON DOMINETVR MEI OMNIS INIVSTITIA. *Dixerat nanq;* Dominus *per os* Mosis *(ut declararet omnia gratia sua fieri, cum homines non pec-cant)* Angelis *eius mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis.*

ne forte offendas ad lapidem tuum. Quod in- [illegible] *nunc ait*, GRESSVS MEOS *futuros* DIRIGE *domine per manus angelorum tuorum, qui me custodiant* SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, *ut paulò ante diximus*. ET, *ubi hoc assecutus non fuero, saltem* NON DOMINETVR MEI, *per genitiuum possessiuum, quasi dicat, Præsta domine ubi tentatus fuero, ne in tentationem inducar: quod sub his uerbis comprehenditur, ut non dominetur mei* OMNIS INIVSTITIA. *quod perinde est ac si dixeris, ut nullo modo peccem: eò quod peccator seruus est peccati. Hoc quidem perpetuò Propheta optauit, optabitq́; nempe ut perseuerantiæ usque in finem gratiam obtineret, pro qua perpetuò orat.*

6 ¶ REDIME ME A CALVMNIIS HOMINVM; VT CVSTODIAM MANDATA TVA. *Timebat sanè ne denuo tribularetur: et idcirco dicit*, REDIME ME A CALVMNIIS HOMINVM, VT CVSTODIAM MANDATA TVA. *quietem cum animæ tum corporis expetens, ut maiori cum quiete orare quiret, eò quod passiones tentationum, inquietas nostras orationes plerunq; efficiunt, immo persæpe animum ab oratione abalienant.*

7 ¶ FACIEM TVAM ILLVMINA SVPER SERVVM TVVM; DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS. *id quidem quod alibi dixit, Illustra faciem tuam super seruum tuum, & in hunc modum tu* DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS. *quippe ut gratia duce illa impleam, atq; ad hunc modum obseruatio ipsa mandatorum meritoria fiat, uerum Prophetæ obiectum & scopus, quò omnes labores dirigebat, illam expectans gratiam, quæ perseuerantiæ usq; in finem dicitur, pro qua iusti orant.*

8 ¶ EXITVS AQVARVM DEDVXERVNT OCVLI MEI, QVIA NON CVSTODIERVNT LEGEM TVAM. *Facilè ex lectione psalmorum Dauidis colligere poterimus illud, quod Ambrosius in apologia Dauidis testatur, pro-*

pria peccata oculorum lachrymis perpetuo ... de seipso nunc testatur, & iterum: Fuerunt mihi ... nes, & poculum meum cum fletu miscebam, ijsq; similibus multis: ita quidem, ut minimè hic dubitemus, an lachrymatus fuerit: sed bene causam inquirere poterimus, quare plorauerit; pro quo subiũgit: QVIA NON CVSTODIERVNT LEGEM TVAM. quæ quidẽ uerba (secundũ quosdam) sic declarari debent, nempe Dauidem propter alios plorauisse, qui Dei legem non custodierant. sed male ipsius sensum pendunt, siquidem hoc in sequenti octonario in uersu illo dicet: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei. Tu autem dicas Dauidem secundum modũ præmissum loqui, EXITVS AQVARVM multitudinem lachrymarum ostendens: non autem lachrymulas, quas mulieres promptas absque causa plerunque habere solent. DEDVXERVNT OCVLI MEI. quasi dicat, per illos unde peccatum intrauit, per eosdem anima, emissis foras maculis, mundata est. At si roges, cur oculi præ cæteris condemnantur? respondet, QVIA ipsi oculi tanquam prima causa NON CVSTODIERVNT LEGEM TVAM, adulterium & homicidium prohibentem; quomodo auertendo se, facere poterant; & cum hoc agere neglexerint, illi occasionem præbuerunt, ut Betsabeæ adulterium, & Vriæ homicidium cordi meo Satan proponeret, ego uerò libera uoluntate peccarem, per quæ simul errorem proprium confitetur, & mirabilem patris bonitatem, dum eius mirabilia narrat, in hoc uersu extollit, qui uerberando errantem filium ad se reducit, ad hunc modum bona tribuens ei, qui mala operatur. Hic certè locus Protestantium os obstruit, dum in plateis eam ob causam Dei martyres se esse prædicant, quia quotidie affliguntur, pœnam, non autem causam pœnæ, cum Propheta intuentes: aliud cum sit propter iniustitiam iuste condemnari, quàm propter iustitiam iniustè opprimi.

DECI-

...S OCTAVVS
OCTONARIVS.

SADE ZADIK

Latinè consolatio, iustitiæ.



ITERA hæc consolationem significat: quæ à gaudio in hoc differt, quia consolatio tristitiam præcessisse præsupponit: gaudium uerò absq; mœrore manere potest. Sub qua litera Propheta, qui in præcedenti octonario mirabilia Dei enarrare cœperat, ea nunc aceruat, quæ sibi mœrorem & gaudium in medio persecutionum præstiterunt.

sade 1 IVSTVS ES DOMINE; ET RECTVM IVDICIVM TVVM.

sade 2 MANDASTI IVSTITIAM TESTIMONIA TVA: ET VERITATEM TVAM NIMIS.

sade 3 TABESCERE ME FECIT ZELVS MEVS: QVIA OBLITI SVNT VERBA TVA INIMICI MEI.

sade 4 IGNITVM ELOQVIVM TVVM VEHEMENTER, ET SERVVS TVVS DILEXIT ILLVD.

sade 5 ADOLESCENTVLVS SVM EGO, ET CONTEMPTVS: IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

sade 6 IVSTITIA TVA, IVSTITIA IN AETERNVM, ET LEX TVA VERITAS.

sade 7 TRIBVLATIO ET ANGVSTIA INVENERVNT ME. MANDATA TVA MEDITATIO MEA EST.

Sade 8 AEQVITAS TESTIM...
AETERNVM: INTELLE...
MIHI, ET VIVAM.

1 ¶ IVSTVS ES DOMINE: ET RECTVM IVDICIVM TVVM. *quasi dicat, Non'ne mirum hoc est, ut tu qui tua misericordia das, unde tibi placeamus, lachrymas proponas, ut nos illis præuijs consolemur? Et hoc quidem, ut tu, qui secundum misericordiam principaliter nos saluas, iustitia quoq; comite, tanquam causa secunda misereri possis. Hoc enim contemplans, in medio afflictionum mearum uidi eam ob causam oculos meos lachrymas emisisse: quia* IVSTVS ES DOMINE *in te, et proinde* RECTVM IVDICIVM TVVM, *per quod omnia iuste disponis, ac in recto iudicio & ratione iubes, ut secundum iustitiam patiendo lachrymas effundamus, quo deinde post lachrymas, sicut bonitati tuæ congruit, secundum misericordiam & iustitiam, æternam salutem condones: Itaque gratia tua plena consolationis adueniat, quandoquidem sic peccatores uerberare soles, ut modicum passos, debeat medicina tua saluare: legemq; tuam seruari posse ea ex ratione hominibus denegasti, ut ad gratiam recurrant: quam pœnitentibus ita largiris, ut mundando non facias innocentem. Ecce lector quomodo Propheta sub litera Sade, mœrorem lachrymarum consolatione excludit, dum legem seruare se non posse cognoscit, et in gratiæ aduentu consolatione duce, illum foras mittit: legis præconia concinens, quæ dicit, post lachrymas hilaritatem infundi: sic enim altera manu, legem, quæ homini nimis est, ostendit, altera uero gratiam offert, unde sequitur.*

2 ¶ MANDASTI IVSTITIAM TESTIMONIA TVA, ET VERITATEM TVAM NIMIS. *Omisso quorundam multiloquio, qui uarie hæc uerba declarant: dic, iustus es domine, & rectum iudicium tuum, tametsi mandaueris iustitiam, testimonia tua, & ueritatem tuam nimis. Sed quid est man-*

.unonia, & ueritatem nimis? MANDASTI nanque eum scribi, tum etiam à nobis operari (quorum utrunq; uox ista significat) IVSTITIAM, id est opus iustitiæ. Mandasti quoq; TESTIMONIA TVA, de te loquentia sic scribi, & NIMIS, id est supra hominem sint: quasi homo non modò iustitiam operari solus nequeat: sed neq; testimonia Prophetarum de ipsa iustitia loquentia solus intelligere possit. Mandasti quoq; VERITATEM nimis: id est id quod secundum ueritatem tuam polliceris, ut per multas tribulationes in regnum cœlorum intremus, homini soli nimis, siquidem promissiones tuæ ueraces aliquid ab homine requirunt, quod solus homo præstare non potest: proindeq; ipsi homini ueritas tua nimis: quandoquidem si altera ex parte in se infallibilis sit, ex altera ipsi homini gratia denudato nimis est: id planè quod in primo octonario obseruauerat: ubi dum magno cum mœrore dixisset, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: euestigio consolationem gratiæ amplectens, subiunxit: Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. non secus ac si dicat: Hæc omnia sub recto iudicio fecisti, ut omnia nimis homini absq; gratia tua essent: ut homo ipse, qui nec uelle, nec perficere habet, & quantumlibet operetur, adhuc solus inutilis seruus est; animaduertens testimonia tua intelligere, illa uelle atq; operari, supra uires suas esse: perpetuò se egere gratia tua cognosceret; & metuens iudicia tua, cautius uiueret, atq; promissa secundum ueritatem tuam, quæ infallibilis est, haudquaquam superbe, sed sobriè per consolationem gratiæ expectaret:

3 ¶ TABESCERE ME FECIT ZELVS MEVS: QVIA OBLITI SVNT VERBA TVA INIMICI MEI. Duæ sunt uoces in uersu isto, tabescere, & zelus, quibus diuerso modo utimur; nam tabesco interpretatur langueo, deficio, tabidus fio. Zelus uerò modò pro inuidia; modò pro æmulatione, modò uerò (ut in textu isto) pro amore capitur, quo circa hoc in loco sic uerba ista coniungito, ut per zelum, amorem charitatis ostendat, quæ

ipsum tabescere fecit, quasi dicat, Quid ultrà ego. Sáde potero, quæ consolationem cum mœrore significat? quid mirabilius? non'ne tu mirabilia homini [illegible] præstas? Etenim cùm inimici mei obliti legis tuæ morti me tradere elaborabant: TABESCERE ME FECIT [illegible] ZELUS MEUS charitatis, quæ me simul tabescere præstabat, & animum consolabatur meam: ipsaq; tabescere me fecit, ut dicerem: Defectio tenuit me pro derelinquētibus legem tuam. At hoc unde? nisi quia ignitum ELOQUIUM TUUM VEHEMENTER, à uerbo ignesco, quod in ign[illegible] perinde ac si dixerit: Etenim cum tuo lumi[illegible] tempore afflictionis [illegible] illud perspicuè cognosce[illegible] nde eloquium [illegible] nens, quem [illegible] uos lo, nisi ut ardeat [illegible] frigida hominum pectora accend[illegible] inimicorum perditionem sobriè plangant. Hinc ergo ze[illegible] ignis flammigerans ossibus hæreret meis, quanquam SERVU[illegible] nem & aquam tunc transiret, iuxta illud, Exardebat sicut [illegible] DILEXIT ILLUD, id est eloquium, quo redamato, sic ignis flammæ in anima crescebant, ut beatitudine sitis iustitiæ propter summam inimicorum dilectionem frui obtinuerim. Quid mirabilius afferre potero? non'ne hoc præ cæteris homini nimis, ut afflictus affligentes diligat? quodq; in medio tristitiæ consolatio superabundet, quemadmodum Paulus de se ipso testatur, inquiens: Foris sunt pugnæ, intus timores: sed superabundo gaudio in omni tribulatione nostra: quoniam qui consolatur humiles, consolatur & nos. O quàm nimis certè est proprijs gaudere passionibus, dum alienam iacturam plangimus?

5 ¶ ADOLESCENTULUS SUM EGO ET CONTEMPTUS: IUSTIFICATIONES TUAS NON

...asi dicat, Non'ne & hoc quoq; mirabile est, hoc est admiratione dignum, & nimis? ut idcirco hominē peccare permittas, ut post peccatum gratia tua egere se cognoscat, quem deinde ad pœnitentiam adducis? Quod maius donum & mirabile homini concedi poterat, nempe ut tu propria bonitate motus, peccatori inimico tuo manum porrigas, ut resurgat? ADOLESCENTVLVS SVM EGO, *præsenti tempore utens, ut illud tempus ostendat, quando dixit. In quo corrigit adolescentior uiam suam?* & CONTEMPTVS *à te propter peccata cōmissa, quando me adulteriū & homicidium simul cōmittere permisisti, tamen* IVSTIFICATIONES TVAS, *quæ pœnitentes iustificāt, te ad pœnitentiam me uocante,* NON SVM OBLITVS, *quia gratia tua pœnitentiam egi: absq; qua dignè haudquaquam me peccatorum pœnituisset. Non'ne mirū hoc, ut tu peccatori præstes, unde tibi placere possit? Quem sensum ego sequor, dum tu illos sequi uolueris, quibus placuit Dauidem de prælatione sua inter fratres egisse. Moueor in primis, quia si secundum alios uerba hæc legeremus, nequaquā uideo in quem modū sequentia uerba, Iustificationes tuas nō sum oblitus, præcedentibus rectè coniungi possint. Rursum quia psaltes à xvij octonario hucusq;, & in his etiam quæ sequuntur, nihil aliud agit, q̄ ut ea quæ in toto psalmo obseruauit, denuo contēpletur, singula ecclesiæ recensendo. Et deniq;, qa hæc opinio mea alibi cōmunis doctorum opinio est, quemadmodū in nono octonario uersu septimo dixi. Sic enim scriptū est, Hæ sunt gentes quas dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel.*

6 ¶IVSTITIA TVA, IVSTITIA IN AETERNVM, ET LEX TVA VERITAS.

7 ¶TRIBVLATIO ET ANGVSTIA INVENERVNT ME: MANDATA TVA MEDITATIO MEA EST. *Idcirco scribentes super uoce iustitia, & uoce ueritas, multos intellectus multiplicant, quia hos uersus tanquā disiunctos interpretantur. Atqui ubi simul legantur, facilis eorum*

ſenſus erit. Quare expendas in primis, rog.,
quæ mæſtitiā præcedentem & gaudium ſubſequens una complectitur:
ut hoc expenſo, Dauidem hunc in modum loqui intelligas. Non'ne hoc
quoq; mirabile mi domine, & nimis homini eſt, ut IVSTITIA TVA,
non ſolum inquantum eſt uirtus, in te ſolo conſiſtens æterna ſit, uerum
etiam inquantū eſt opus iuſtitiæ à uirtute in aīa infuſa procedens, quod
à nobis exigis, dum ſpiritu tuo in nobis operante cōſummatur. IVSTI-
TIA IN ÆTERNVM *ſit per Chriſtum dominū noſtrū, hoc quidē lex*
tua dicit. ET LEX TVA VERITAS *eſt. At rogabis, cur dicit ueritas, nō*
aūt dicit uera? Quia ueritatē, id eſt uerbū incarnatū Chriſtū concluſum
in antiqua, & reuelatum in noua, lex ipſa continet, per quē omnia pro-
mittuntur: & ſicut in ueritate promiſſa ſunt, adamuſſim conſumman-
tur; quocirca minimè dixit, Iudicia Dei uera, iuſtificata in ſemetipſa:
ſed ſicut alibi dixerat, Principium uerborum tuorum ueritas: itidem
nunc inquit, Lex tua ueritas, ad denotandum ueritatis puritatem, quæ
in lege continetur. Sed quid ex hoc inſers, ò Dauid? Hæc enim lex un-
diq; afflictis, qui Dei iuſtificationes ſuſtinent, multa gaudia in futurū
promittit: cui ego credo. Hæc illa eſt, quæ in medio lachrymarum hi-
laritatem infundit: & idcirco quando TRIBVLATIO *exterior,* ET
ANGVSTIA *interior iuxta illud Pauli, Foris pugnæ, intus timores, in*
mea afflictione INVENERVNT ME, *& dicit inuenerunt; ſiquidem*
non modò cogitate fuerunt aduerſum me, ſed re ipſa ſic inuenerūt me,
ut in uera animi & corporis anguſtia eſſem. Tunc enim ut protinus
promptam cōſolationem haberem, MANDATA TVA MEDITATIO
MEA EST; *hoc eſt, legem tuam ſcrutabar; ſcrutandóq; pollicitationes*
tuæ laſſam animam reficiebant. Et dicit, meditatio mea eſt, præſenti
tempore utens, ut ſecundum Prophetæ morem, præteritum & præſens
tempus enarret, in quibus contempta cruce, ſolam æternā ſalutem con-
templatur, propter quam crux ipſa dulcis erat. Obſeruate fratres eui-
dens tutamen hoc, quod paſtor ipſe à lege conſequitur: & ſcitote nullū

abere respirandi modum, cum renuit propter angustias consolari anima nostra, qꝫ cum oculos corporis & animæ ad scrutationem utriusqꝫ legis conuertimus. Nam mox nobiscum loquentes dicere incipimus: Non'ne lex Dei hæc est, quam hactenus à tempore datæ legis, tanquam Dei eloquium penes se patres detinuerunt? non'ne Christi lex altera est? non'ne Christus ueritas, in factorum lege uelatus, & in euangelica reuelatus? non'ne propterea lex ipsa non modò uera, sed ueritas, quæ palàm adiutoria multa nobis pollicetur? Erit'ne Deus mendax? Absit ut ego primus sim, qui in Deo sperans confundar. Peccata fortassis resistunt. & quis aliorum absqꝫ peccato fuit? aut publicanus, quia non peccauerat, iustificatus est? Non quidem, sed quia pœnituit eum peccasse. Quibus hunc in modum contemplatis, ecce gratia Dei præsto est, quæ confestim animam in summa tranquillitate & pace relinquit: ut tentando Deus faciat ex tentatione prouentũ. Non'ne admiratione dignum hoc est, ut legis scrutatio, quæ res mortua uidetur, propter spiritum in ea loquentem, sic animam intus roboret, ut passiones externas penitus contemnat: & tamen ita est, quemadmodũ Propheta, et alij multi, qui has afflictiones passi sunt, experientia didicerũt.

8 ¶ AEQVITAS TESTIMONIA TVA IN AETERNVM; INTELLECTVM DA MIHI ET VIVAM.

Et ut semel finiam, summam totius legis tuæ, & omnium contentorum in testimonijs tuis, hanc esse profiteor, nihil aliud esse testimonia tua, siue iram comminentur, siue bona polliceantur, quàm ÆQVITAS IN ÆTERNVM. quandoquidem ubi æternam uitam polliceris, æquitas in æternum sunt; ubi uerò nos temporaliter affligendos cõminaris, adhuc æquitas in æternum sunt: eò qꝫ ideo temporaliter affligis, ut qui in mœrore fuerunt, æternam consolationem consequantur: quemadmodum in decimo octonario dixerat: Cognoui domine, quia æquitas iudicia tua: & in ueritate tua humiliasti me. Aequitas quoqꝫ in æternum in pœna æterna inferni, testimonia tua sunt: quoniam misericordia & æquitate


propria tunc uteris mitius q; merentur, & posses,

do. Quæ si ad hunc modum se habeant, non'ne mirabilis res hæc est, ut usq; ad inferni ignem æternum, æquum iudicem te uideamus? Vnum superest domine, ut per donum intellectus actiui sic me cōserues, sicut per donum intellectus contemplatiui me docuisti: quippe ut hanc æquitatem tuam, per quam ad æternam uitam ducimur, in fine comprehendam; siquidem tu non ita intellectus donum das, ut in sola intelligentia consistat, immo potius ut intelligendo, tua gratia adiuti, mandata tua seruemus, unde sequitur: INTELLECTVM DA MIHI, quia illo omni tem pore egeo. ET VIVAM, non q certus æternæ uitæ nunc sim, sed quia si donum intellectus mecum perpetuò aderit, sic fore haudquaquam dubito. Sic enim à somno expergefactus, & ab ignorantia liberatus, semen tuum in anima mea seminatum, omne peccatum expellet.

DECIMVSNONVS OCTONARIVS.

☙K KOPH P

Latinè aspice, conclusio, vel secundum aliquos vocatio.



Postquam Propheta in duobus præcedentibus octonarijs mirabilia Dei, id est admiratione digna, quæ in persecutionibus suis cognouerat, ex parte enarrauit, ad literam Koph peruenit, quæ duo significat, aspicere nimirum, & conclusionem: non ut conclusio pro fine duntaxat stet, sed pro multis alijs, quæ paulò post enarraturi sumus: inter quæ quandā animi cōpressionem considerabimus: à qua detentus uix homo aerem (ut Ambrosio placet) attrahere potest. Sed quorsum ista? quippe ut & hoc mirabile addat, hoc est ut homo, qui ob angustias adeò debilitatus uiuit, ut oculis oret, iuxta illud: Dixerunt oculi mei: non aliter saluetur, nisi ipse gratia comite propriam salutem operetur: sicut econtrario nemo nisi ob propriam obstinationem, seu finalem impœnitentiam condemnatur, &

utrunq;

...um. Diuiditur autem in partes tres: in quarum prima orationes suas diuersis temporibus domino porrectas enarrat: in secunda uerò dubitationem, quare Deus hos illuminet, hos uerò induret, soluit: & in tertia, æternas esse pœnas, atq; æternam gloriam determinat. Prima usq; ad uersum Appropinquauerunt: secunda usq; ad uersum Initio cognoui. Tertia usq; ad finem usq;.

Koph 1 ¶CLAMAVI IN TOTO CORDE, EXAVDI ME DOMINE: IVSTIFICATIONES TVAS EXQVIRAM.

Koph 2 CLAMAVI AD TE, SALVVM ME FAC, VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

Koph 3 PRAEVENI IN MATVRITATE, ET CLAMAVI, QVIA IN VERBA TVA SVPERSPERAVI.

Koph 4 PRAEVENERVNT OCVLI MEI AD TE DILVCVLO, VT MEDITARER ELOQVIA TVA.

Koph 5 VOCEM MEAM AVDI SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM DOMINE: ET SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

Koph 6 ¶APPROPINQVAVERVNT PERSEQVENTES ME INIQVITATI: A LEGE AVTEM TVA LONGE FACTI SVNT.

Koph 7 PROPE ES TV DOMINE, ET OMNES VIAE TVAE VERITAS.

Koph 8 ¶INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS TVIS, QVIA IN AETERNVM FVNDASTI EA.

¶ CLAMAVI IN TOTO CORDE, EXAUDI ME DOMINE: IVSTIFICATIONES TVAS EXQVIRAM. Quoniam pauci sunt, qui prophetæ ordinem expendant, quem in psalmo seruat: scire tu debes lector, nil aliud Dauidem in hoc octonario agere, nisi ut quomodo ab octonario decimoseptimo mirabilia, quæ in utraq; uia uiderat, ecclesiæ narrauit, ea supplens, quæ non potuit ob loci angustiam octo uersuum pro quolibet octonario, commonstrare: eodem nunc pergat, quædam addens carminibus suis, in illis octonarijs contentis, ubi propter angustiam loci, ut dixi, multa tacuit, quæ nunc supplet; admirandũ certè opus, ut sub diuersis literis alphabeti eadem tractet, nec proinde uerborum geminator sit. Pro cuius octonarij intelligentia, hunc in modũ cum Dauide loquar. Dic mihi ô Regie pastor, qui à domino dilectus es, quid adhuc in medio afflictionum tuarum uidisti, quod inter Dei admiranda opera connumerari possit? Ipse uerò respondeat: Hoc quoq; in peccatis conclusus uidi, iustum ac misericentem Deum, qui homini dat, unde ei placere possit, omnibus peccatoribus lumen suum offerre, atq; admonere illos, ut in lege sua ambulet: quorum aliqui, qui lumine hoc accepto eius misericordiã sine intermissione, tam in peccatis permanentes, q; post gratiam obtentam implorãt, quasi per gradus ad æternam salutem, per eas tribulationes aliquando perducantur, ut admodum debilitati, signis orando, propriam salutem in æternum operentur: res quidem mirabilis satis. Illi uerò, qui spreto lumine Dei, misericordiam contemnunt, de gradu in gradum sic indurantur, ut in reprobum sensum iustè illos Deus tradat, atq; ad inferni pœnas in æternum condemnet, ut sequitur. CLAMAVI, à domino uocatus, IN TOTO CORDE, siquidem oratio munditiã sensualitatis (ut ita loquar) exigit, ne intellectus obumbratus caligine phantasmatum frustra oret: quemadmodum multos uidemus, qui lingua dũtaxat, nulla attentione in Deum præhabita, sine fructu orant: Sed quid clamando principio dicebas? EXAVDI ME DOMINE secundum misericordiam

..o animam meam, quæ in medio peccatorũ cõclusa est. Verum quia multi ita clamant, ut renouata uita, Dei iustificationes die ac nocte exquirant, quibus dominus dicit: Clama ad me, & ego exaudiam. Clama et ulula fili hominis: quidã uerò sic clamant, ut absq; pœnitentia non exaudiantur, de quibus scriptura dicit, Clamabunt ad dominum, & non exaudiet: uolens Propheta ostendere eo modo se clamasse, quo pœnitens peccator clamare debet: postq; dixerat, Exaudi me domine, pœnitentiã concedendo, subiunxit, quia post eam euestigio IUSTIFICATIONES TUAS REQUIRAM. Verba hæc obserua lector, ac Deo gratias age, quando anima quasi è somno expergefacta surgens, incipit iustificationes requirere, eò ꝙ Dei opus hoc est, qui te ad hoc excitat, ut usq; in finem, id quod incipit perducat. Sed quid requirere iustificationes in futurum est? num fortasse, ut sufficiat absq; opere legem diligere, itaq; requirat? Non quidem, cum mandatorum exquisitio tũc bona sit, quando exquiruntur ad faciendum ea. Quocirca peccator, qui in statu peccati est, à domino uocatus, Parce domine, principio ait, & rectam pœnitentiam da, ut ego deinde iustificationes tuas requiram, propositum illud non peccandi in futurũ, habens, cuius meminit, quando in secundo octonario dixit: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Ecce primam Prophetæ orationẽ in statu iræ habes, quando se exaudiri petijt misericordiæ innitentem. Audi secundam.

2 ¶ CLAMAVI AD TE, SALVUM ME FAC, UT CUSTODIAM MANDATA TUA. *quasi dicat,* CLAMAVI quoq; AD TE, qui elisos erigis, inquiens, Exaudiendo me, sicut paulò ante oraui, SALVUM ME FAC, uiuificando animam meã, quæ propter peccatum mortua est: UT gratia tua uiuificatus, opere CUSTODIAM MANDATA TUA. Atqui dices, non'ne idem est mandata Dei requirere, & mandata Dei custodire? Nequaquam. Siquidem is requirit, qui ante uiuificationem pœnitẽdo propositum requirendi habet: hic autem Propheta, qui nil à domino petit, quod protinus non ob-

tineat, cum dixiſſet, Saluum me fac, cauſam addit, Vt c.
data tua. Voce, tua, eodem modo utens, quo in primo octonario dixit,
cuſtodiam iuſtificationes tuas, de illa cuſtodia intelligens, quæ bene coo-
perando meretur, & miſericordiæ atq; iuſtitiæ innititur: in quem finẽ
gratia adepta, omnis oratio noſtra tendere debet: quippe ut legem in
uia meritoriè ſeruare queamus, quemadmodum Propheta egit, qui gra-
tia inhabitante denudatus principio dixit: Vtinam dirigantur uiæ meæ
ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. directus autem confeſtim ſubiun-
xit: Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas uſquequaque.
Atq; iſta commemorans in ſequenti uerſu addit.

3 ¶ PRAEVENI IN MATVRITATE, ET CLA-
MAVI, QVIA IN VERBA TVA SVPERSPE-
RAVI. Tam uariè uerſum hunc doctores noſtri interpretantur, ut
propter intellectuum confuſionem, quid Propheta ſenſerit, quodammodo
ignoremus. Siquidem eò deuenerunt, ut dicerent uerba iſta eſſe cor-
rupta: & dum Propheta dicit, Præueni in maturitate: legi debere, Præ-
ueni in immaturitate: quaſi tempus noctis, ad orandum quædam imma
turitas ſit, tum ſi pro nocte ipſum tempus noctis accipiamus: tum etiam
ſi hanc noctis immaturitatem metaphorice pro tempore ante aduentum
gratiæ capiamus, in quo eccleſia per ſuos Prophetas clamare non ceſſa-
uit. Res quidem mea ſententia non admittenda, ut aliter q̃; ueritas ſit,
eccleſia tamdiu uerſum hunc concinuerit. Alijs uerò placuit Dauidem
media nocte oraſſe. quibuſdam ante maturam ætatem, urſum, leonem,
& Goliam occidiſſe. Pleriſque maturo iudicio, non autem ex impetu
paſſionis oraſſe. Quidam autem cenſent, alios iuuenes in hac maturitate
orandi preueniſſe. Nec deſunt quibus placet, uerba hæc tempus aptum
ad orandum deſignare. Inter quos Caſſiodorus deniq; autumat, ut præ-
ueniat in maturitate, quiſquis in annis iuuentutis modeſtiam ſenectutis
anticipat. Sed quare hi omnes non cogitant, Prophetam ea hic ſupple-
re, quæ in primo octonario, etſi illa contemplatus fuiſſet, exprimere non

PRÆVENI IN MATVRITATE, *id est in illo tempore, in quo gratia tua mecum erat: et qui prius ante aduentum gratiæ dixeram, Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas; directus iam* ET *secūdo loco* CLAMAVI *in toto corde meo, quando maturum tempus erat, in quo toto corde meritoriè poteram orare, inqens, Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaq;:* QVIA IN VERBA TVA SVPERSPERAVI. *At dices, quid uox ista supersperare, hoc in loco significat, cum tale uerbum in illo octonario nō legamus? Cui ego respondebo, uim uerbi ibi adesse, quando primò gratiam sperauit, ut iustificaretur, inquiens, Vtinam dirigantur, deinde uerò supersperando dixit, Iustificationes tuas custodiam. Hoc enim nunc supplet, quod propter loci angustiam in illo octonario exprimere non licuit. Hanc doctrinam nobis relinquens, ut tunc dominum obsecremus, quando in gratia sumus, eò quòd tunc tempus maturum orandi est, ut meritoriè oremus, exaudiamurq;, bellè cum proprietate literæ* Koph *ludens, ut in orantem hominem conclusum à gratia, Dei oculi aspiciant. Est itaq; maturum tempus, quādo antequam sit iustus, misericordiæ innitatur, & à domino uocatus, orat. Est quoq; maturum ut meritoriè oret, quando in statu gratiæ uitam ducit.*

4 ¶ PRAEVENERVNT OCVLI MEI AD TE DILVCVLO, VT MEDITARER ELOQVIA TVA. *quasi dicat, non solum in uita actiua clamaui, & quando gratia tua surgebam, iterum in maturitate status gratiæ præueniendo, ne à gratia exciderem clamabam, sed præueni in ultima maturitate, quando charitate duce uiam mandatorum tuorum cucurri: unde promerui, ut ad uitam contēplatiuam me perduceres. Tunc enim clamaui, &* PRÆVENERVNT OCVLI MEI, *tum corporis, tum mentis, ut illa discerēt, quæ optabant.* AD TE, *in quem oculos, cum oramus, dirigere debemus.* DILVCVLO, *quæ metaphora tempus prope matutinū solem præsignat, duosq; sensus cōplectitur: qui ambo simul stare possunt: Alterū, ut idcir-*

co dicat diluculo, & non solum in maturitate tempori.
uenisse ostendat (primum gradum gratiæ cõmonstrans, in quo cæci illius instar, qui in initio gratiæ homines, quasi arbores uidebat, paulò uerò post, prout erant homines, conspexit: quasi ut quo modo initium uisus, non tamen perfectũ in diluculo habemus, eodem in gratia quoddam lumen adhuc non completum habeamus) uerum etiam in diluculo uitæ contemplatiuæ, anteq; persecutiones aduenissent, præuenerit: dona ab eo petendo, quæ in quinto octonario continentur. Alterum uerò sensum, ut per hanc uocem, diluculo, primũ gradum uitæ contemplatiuæ ostendat, in qua uerum solem, & lumen rerum æternarum cernere incipit. sic enim ex fide in fidem omnia reuelantur, & usq; ad profunda Dei peruenimus; non secus ac si dicat, diluculo, quando uix solis iustitiæ lumen uerum, in ea ætate percipiebatur, & proxima Saulis persecutio erat: in diluculo ipsius quoq; persecutionis, diluculo itẽ gratiæ, alias preces Deo obtuli dona spiritus sancti, petẽdo et hoc quidẽ, ut ipsis præuijs MEDITARER ELOQVIA TVA. Ordinem Prophetæ obserua rogo, q̃ prius ut requireret mandata, secũdo ut ea custodiret, et tertio ut illa contemplaretur orauit: non ut contemplando illa duntaxat intelligat, immo potius, ut meditãdo ea ibi cernat, per quæ duras passiones futuræ persecutionis sustinere propter spem iustitiæ facile potuisset. isthæc annotatione digna obserua lector: ut q̃d tu petere debeas, ipsum imitando intelligas. Hactenus de orationibus præteritis: præsentes nunc audiamus.

5 ¶ VOCEM MEAM AVDI SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM DOMINE: ET SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME. Et dicit, VOCEM MEAM, tum oris, tum etiam cordis AVDI, hoc est audiendo exaudi SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM DOMINE. qua nos peccatores audire dignaris per Christũ, qui propitiatio nostra, & aduocatus noster coram te est, ac pro familia sua, cuius unus sum ego, orat. ET SECVNDVM IVDICIVM TVVM, quo misericorditer

propriam bonitatem tuam: & misericorditer gratias omnes ad hanc misericordiam necessarias ab æterno condonasti: VIVIFICA ME, ut qui iustus sum, iustificer adhuc; perinde ac si dicat, da perseuerantiæ gratiam usq; in finem, pro qua perpetuò regius iste pastor orat.

6 ¶ APPROPINQVAVERVNT PERSEQVENTES ME INIQVITATI: A LEGE AVTEM TVA LONGE FACTI SVNT. Postquam Propheta in præcedentibus carminibus, suarum orationum species & tempora ecclesiæ cōmonstrauit, declarans Dei gratia omnia obtinuisse, quæ media clamauit: mox obiectio hæc in hac secunda octonarij huius parte sese obtulit, qua iniqui propriam negligentiam defendere conantur, dicentes: Si dominus est (ut Paulo placuit) qui illos quos uult, illuminat, & quos uult indurat: quis eius uoluntati resistere poterit? Non quidē absq; gratia quicquam boni agere quimus. Deo igitur imputetur, si iustificationes suas non custodimus. Cui tacitæ obiectioni respondens, Deum utrunq; secundum rectum iustitiæ ordinem facere ostendit, inquiens: Quid aduersus iustam suam condemnationem iniqui isti excipere poterunt? quandoquidem principio Deus ipse non minus osores meos, q̃ me, ad orationem uocauit, ut misericordiam implorantes ad Iesum uenirent: sed PERSEQVENTES ME, contempta uocatione ista, mecum clamare renuerunt; quo factum est, ut gratia non adueniret, eò q iacula quædam inspirando, & sensum aperiendo bonus Deus immittit, ut eius misericordiam imploremus: quam persequentes me, non solum neglexerunt, uerũ etiam APPROPINQVAVERVNT INIQVITATI. & dicit iniquitati in abstracto, quasi regno peccati hæserint. A LEGE AVTEM TVA, cui hærere debebant. LONGE FACTI SVNT. siquidem quanto magis meæ cruci inferēdæ appropinquabant, tanto plus à lege tua recedebant: quapropter minimè ad te Deum accedere poterant, quia tuis regulis non obtemperabant. Vnde mirandum non est, si iuste tu, qui omnem hos

AI v9

minem uenientem in hunc mundum illuminas, mibi p...
ceptanti propter nomen tuum, & misericordiam sicut bonitati tuæ congruebat, nouum lumen adhuc dederis: illis uerò renuentibus lumen tuum acceptare, iustè quoq; deinceps gratiam denegaueris: ut qui sordidi erant, sordescerent adhuc, sicut scriptum est. Ecce qui se elongauerint à te, peribunt. Hunc enim in modum Iesus Israelitis scandalũ fuit, gentilibus stultitia, uocatis autem, qui crediderunt, Dei uirtus. Verum quia adhuc aliquis dicere potuisset, quare sic lumen non immisit, ut omnino nos quoq; ad Deum accederemus? Cui respondet, eam ob causam sic Deum procedere, quia cum iustus ipse sit, mundans non facit innocentem. Satis quidem est, ut sciamus, quia PROPE ES TV DOMINE, & gratiam unicuiq; offerens, omnes saluos fieri optas: & secundum propriam benignitatem, non modò hos, qui uuas afferunt, recipis: sed & qui labruscas faciunt, ad pœnitentiam expectas, Stas sanè ad ostium, & perpetuò pulsas, propeq; es omnibus inuocãtibus te. Sed quia quotquot prædestinati sunt, illi usq; in finem credunt, illi quoq; perpetuò clamant. Hinc hos credentes, quibus tu prope es, & ipsi tibi, iustè protegis in uia, & aures tuæ in preces eorum, ut per gradus illos illumines, ac deniq; in æternum salues. Contrà uerò uultus tuus super facientes mala, ut perdas de terra memoriam eorum. Siquidem dum tu prope es, illi à te longius discedunt: quo fit ut lumine sublato, iustè illos condemnes. Sic enim omnes diligentes te, custodis: & omnes peccatores, qui proprio libero arbitrio se indurant, iusto tuo iudicio, tu quoq; obduras, atq; dispergis. ET, propterea in uanum conqueruntur, quoniã OMNES VIÆ TVÆ, id est iudicia tua, quibus in uijs iustitiæ tuæ ambulans (utrosq; ut paulò ante dixi iudicando) alterũ ex lumine in lumẽ pergere das: alterum uerò obcæcas, et in reprobum sensum tradis. VERITAS. siquidem à te ueritate ordinata sunt, iustitiaq; ueritatem, id est regulam iustam diuinæ uoluntatis perpetuò in utroq; casu continent.

8 INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS TVIS,

QVIA

IN AETERNVM FVNDASTI EA.

Facillima uerba hæc in se sunt: sed difficile est intelligere, cur in fine octonarij istius Propheta uerba istbæc collocauerit, & quis eius sensus fuerit, cum dixit, INITIO, id est ab Adam (secundum Hieronymum & Cardinalem) uel initio, id est principio, quo habui usum rationis (ut Lyræ placet) Tu autem dic, initio, id est principio, quando lumen intellectus & fidei mihi concessisti (uti in primo octonario patet) COGNOVI DE TESTIMONIIS TVIS, id est à testimonijs tuis cognoui, QVIA IN ÆTERNVM FVNDASTI EA, scilicet testimonia, cum ut æternam pœnam (secundum Cassiodorum) contemnentibus illa irrogarent, tum etiam ut æternam gloriam illa custodientibus tribuerent. id quidem, quod alio in loco Iesus dixit: Et qui bona fecerunt, ibunt in uitam æternam: qui uerò mala, in ignem æternum. At si dicamus, quid commune cum litera huic octonario præposita, sentẽtia ista habet? quid cum clamore? Respondet quidam, ea ex ratione esse factum, quia cum in præcedenti uersu dixerat, Omnes uiæ tuæ ueritas: hic causam ostendit, quomodo congruit ut sint ueritas, eò ꝙ ueritas æterna est, quæ fundauit ea. Nos uerò Cassiodorum sequentes, dicamus, aliquos fuisse, qui putabant Deum misericordem omnes tandem saluare: quibus Propheta respondet, initio cognouisse testimonia sua in æternum esse: nempe ut si quos damnauerit, in æternum in inferno pœnas dent: quasi ea ratione, qua testimonia ueritas sunt, eò ꝙ ab ipsa ueritate præcipiuntur: eodem modo æterna sint, quia ab æterno Deo præcepta, ut in æternum maneant. Quibus hunc in modum declaratis, finge Dauidem oculos ad nos conuertisse: qui ut literæ Kopb proprietates consummaret (quæ aspice & conclusio significat) in calce nunc dicat: duas uias has, ad quas animaduerti, & uobis deinde illas cõmonstraui, aspicite ò lectores, quoniam conclusio præmissorum hæc est, nempe ut Deus omnes uocet, & uenientes ad se in maiori gradu illuminet: elongantes uerò se ab eo, iustè in reprobũ sensum tradat. Sic enim alio in loco utrunq; idem Pro-

pheta testatur, cum ait: Non audiuit populus meus uo...
misi eos secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis. Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos. Neq; putetis orationes temporales esse, quoniam in æternum sunt, propter Dei spiritum, qui nos orare docet: & Iesum aduocatum nostrum, qui patrem interpellat pro nobis. Cyprianum audite, qui sic ait: Quoties in conspectu domini ego te uideo suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cum intueor flentem, sentio ignoscentem. Ac proinde quamlibet in maximis angustijs conclusi, signis saltem orate, ne illum spernamus, qui de laqueo pedes nostros tollit. Sciant quoq; reprobati in æternum se in inferno mansuros, ubi nulla redemptionis spes est. Hactenus septima pars tertiæ partis psalmi.

VIGESIMVS OCTONARIVS.

ℭ R RES ר
Latinè caput, primatus.

CVM enarrandi mirabilia Dei finem Propheta non inueniret, reliqua tacuit mysteria, quæ in medio persecutionum suarum contemplatus fuerat: Huiusq; rei uice proprietatem literæ Res oculis proposuit, quæ caput significat & primatum, sub qua diem mortis proximum esse conspiciens, duo capita, duosq; primatus proposuit, qui uel uitæ, uel mortis æternæ uiæ sunt: quorum alterum Christus est, ecclesiæ caput, primogenitus patris, qui prius pro nobis passus est, & resurrexit, primatum patris secum portans, misericordiam nimirum, quæ supra omnia opera eius est: secundum quam primum iudicium in mundum facere uenit: primatũ humilitatis propriæ docens nos, ut contriti corde, primatum misericordiæ assequeremur, inquiens, Discite à me, quia humilis sum, & mitis corde. Et hoc quidem, ut quo modo iustitia & pax osculatæ sunt, eodem pœnitentia et misericordia se se in-

.ur,crescentes in illo per omnia,qui est caput Christus. Alterum uerò caput, superbia Satanæ est: quam tanquam omnium malorum reginam, ne pereamus, fugere & abominari compellimur. Diuisionem octonarij omitto, quandoquidem nil aliud agit, q; propè diem mortis, Satanæ, superbiæq; primatum detestari: caput uerò nostrum, Christum nimirum, sequi: summa cum humilitate dominum obsecrans, ut ueram pœnitentiam ei condonare, eiusq; animam misericorditer saluare dignetur. Sic factum, ut nos quid petere à domino, & quem in modum orare in hora mortis debeamus, ab hoc regio pastore discamus.

Res 1 VIDE HVMILITATEM MEAM, ET ERIPE ME, QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

Res 2 IVDICA IVDICIVM MEVM, ET REDIME ME PROPTER ELOQVIVM TVVM VIVIFICA ME.

Res 3 LONGE A PECCATORIBVS SALVS, QVIA IVSTIFICATIONES TVAS NON EXQVISIERVNT.

Res 4 MISERICORDIAE TVAE MVLTAE DOMINE: SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

Res 5 MVLTI QVI PERSEQVVNTVR ME, ET TRIBVLANT ME: A TESTIMONIIS TVIS NON DECLINAVI.

Res 6 VIDI PRAEVARICANTES, ET TABESCEBAM, QVIA ELOQVIA TVA NON CVSTODIERVNT.

Res 7 VIDE QVONIAM MANDATA TVA DILEXI DOMINE: IN MISERICORDIA TVA VIVIFICA ME.

Res 8 PRINCIPIVM VERBORVM
VERITAS: IN AETERNVM OMNIA
IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

1 VIDE HVMILITATEM MEAM, ET ERIPE ME, QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS. *Præuidens Propheta caput nostrum totius ecclesiæ Christũ humilibus misericordiam suam impartiri: cum dies mortis proximus esset, ad hunc modum orat.* VIDE, *non ut iudices, magis autem ut misererearis: quandoquidem aspiciendo & uidendo parcis, sicut alio in loco dixi,* Aspice in me, & miserere mei. HVMILITATEM MEAM: *quæ bifariam in Dauide aderat, in primis, inquantum ab hac onerosa ac uiolenta persecutione sua grauatus, satis humiliatus erat: & secundo in quantum humilitas uirtus dicitur, immo primatũ inter uirtutes ad excludendum superbiam obtinet, suam indignitatem & peccata cognoscens, de qua principaliter nunc agit. Sic enim utrunq; complectens dixerat,* Vide humilitatem & laborem meum, & dimitte uniuersa delicta mea. ET ERIPE ME, *tua gratia pœnitentẽ à manu alterius capitis, inimici tui Satanæ, qui me deuorare quærit.* QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS. *Sed quid est legem non obliuisci? Siquidem si illam non seruaui, non seruasse pœnitet, uera iusti oratio, per quam se peccatorem contritum coram Deo exhibere debet.*

2 IVDICA IVDICIVM MEVM, ET REDIME ME: PROPTER ELOQVIVM TVVM VIVIFICA ME. *Placet quibusdam, iudicium hoc, iudicium uniuersalis diuisionis esse, quando dominus uenturus est iudicare seculũ per ignem. Tu autem pondera haudquaquam Prophetam dixisse, iudica me, sed* IVDICA IVDICIVM MEVM: *ita ut unum iudicium Prophetæ sit, aliud uerò Dei, post quæ dixit, & redime me: quorum uerborum summa, si simul iungantur, hæc est:* IVDICA *tu domine: siquidem tu magis iudicas, cum nos iudicium & iustitiam facimus.* IVDICIVM MEVM, *per*

me est, omnium peccatorum meorum nunc pœnitet: quod est hominem iudicium facere: nempe ut obstinationẽ fugiendo, pœnitentiam amplectatur. ET REDIME ME ab altero capite Satanæ, ne respicias demerita mea domine, sed PROPTER ELOQVIVM TVVM, id est uerbum incarnatum, eloquium tuum: eloquium item tuum, per quod promisisti, quòd si quis pœnitens crediderit in illud, non confundetur. VIVIFICA ME, mortuum propter peccatum, ut sic uita in uiam uiuam, ut gloriam mihi condonare misericordia tua non impediatur: quandoquidem mors proxima est, & tempus resolutionis meæ instat. Age mi domine, sicut & in promissione tua, quando dixisti, Eripiam eum, & glorificabo eum.

3 ¶ LONGE A PECCATORIBVS SALVS, QVIA IVSTIFICATIONES TVAS NON EXQVISIERVNT. quasi dicat, Non idcirco duntaxat peccatores non saluantur, quia illuminati longè à lege facti sunt, & peccauerunt: sed quia rursum ad pœnitentiam uocati, IVSTIFICATIONES TVAS pœnitentiæ, NON EXQVISIERVNT, id est nullo modo quæsierunt. Ego autẽ pœnitens ad primatum misericordiarum tuarũ propero, ut sequitur.

4 ¶ MISERICORDIAE TVAE MVLTAE DOMINE: SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME. Ille enim sum, qui idcirco, postquam dixerã, Miserere mei Deus, subiunxi, secundum magnam misericordiam tuam. et paulò post, Et secundum multitudinẽ miserationum tuarũ dele iniquitatem meam: quoniam à te illuminatus, noui quia MISERICORDIÆ TVÆ MVLTAE DOMINE, ut peccatores propter nomen tuũ salues, quemadmodum alibi dixit, Miserator & misericors dominus, patiens et multum misericors: suauis dominus uniuersis, et miserationes eius super omnia opera eius. quasi dicat, Tu igitur, qui omnia sub peccato, ut omniũ miserearis, constituisti, secundum IVDICIVM TVVM, quod quale sit, in præcedentibus octonarijs dictũ fuit, VIVIFICA ME: nẽpe ut unus ex illis sim, qui

credens peccata pœnitentibus nobis per Christum cap...
donari : in iudicium non ueniam, sed à morte in uitam transeam, non autem de illis impœnitentibus sim, qui Satanam tanquam caput sequentes, in iudicio à morte in mortem resurgunt.

5 ¶ MVLTI, QVI PERSEQVVNTVR ME, ET TRIBVLANT ME: A TESTIMONIIS TVIS NON DECLINAVI. Et dicit MVLTI, dæmones, prout paulò post in sequenti uersu se declarat. QVI, non modo persecuti sunt me in præteritũ, sed adhuc PERSEQVVNTVR ME, extrinsecus. ET TRIBVLANT ME, intrinsecus tẽtãdo. Et tamẽ A TESTIMONIIS TVIS. & non dicit, à mandatis tuis, sed dicit, à testimonijs tuis uerbum incarnatum caput ecclesiæ testantibus. Non DECLINAVI, non quia non peccauerim, sed quia nec in minimo circa fidem declinaui, scuto fidei spem salutis in corde stabiliens.

6 ¶ VIDI PRAEVARICANTES, ET TABESCEBAM: QVIA ELOQVIA TVA NON CVSTODIERVNT. Multi, qui tabescere pro amore capiunt, eorum meminisse Prophetam hic autumant, quæ successerunt, quando dixit: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Sed hoc in xviij. octonario explicauit, inquiens: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei. Nos uerò dicamus: VIDI PRÆVARICANTES, id est, Luciferum uidi cum coborte sua, qui in cœlo à præscripto sui officij transgressi sunt. At dices: Vbi legimus Dauidẽ dæmones uidisse? Cui ego respondebo, in hoc uersu. sic enim Iob de seipso testatur, cum ait: Collegit furorem suum in me: & cõminans mihi, infremuit contra me dentibus suis, Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est, aperuerũt super me ora sua. Parum tamen refert, si et Iobem & Dauidem tunc uidisse præuaricantes dicas, quando diabolorum facta cõtemplari cœperunt. Prima tamen uerior, siquidem multi Satanam, dum in aliquod corpus se trãsfigurat, oculis corporalibus præ-

...ntem uiderunt, propter quæ adiutorium à Deo, *quem ex toto corde diligit, contra horribile caput* Satanæ *cum sodalibus suis, à quo abhorret, humillime petit.* Itaq; *intelligendo uerbum* TABESCEBAM, *pro mœrore, non pro amore capietur; mœror autem tum propter horribilem dæmonum aspectum fiebat, tum etiam ne* Dauid *illis similis fieret, erant nanqꝫ ante peccatum lucidissimi: sed* QVIA ELOQVIA TVA NON CVSTODIERVNT, *eo modo quo illis locutus es, ostendens te solum esse deum, quem adorarent: cum* Lucifer *dixit:* Ponā *sedem meam in aquilone, & ero similis altissimo: è cœlo ceciderunt, et in hanc deformitatem conuersi sunt.*

7 ¶ VIDE QVONIAM MANDATA TVA DILEXI DOMINE: IN MISERICORDIA TVA VIVIFICA ME. Prophetæ *ordinem obserua lector, qui in uersu primo, ut exaudiatur, pro causa assignauit, quia legem tuam non sum oblitus: postea uerò in uersu quinto,* Quia *à testimonijs tuis non declinaui: nunc autem,* Quia *mandata tua dilexi. quasi dicat* VIDE, *tu qui omnia scis, an rectè pœnituerim, nec'ne.* Id *quidem quod meum erat, secundum naturam à te motus attritus feci,* QVONIAM MANDATA TVA, *saltem pœnitentiæ,* DILEXI: *& quantum licuit, me peccasse pœnituit: reliquum est, ut tanquam rem tibi congruam, qui propter te misereris nostri, sapientiam tuam supernam humanæ ferruminando, opus hoc per ueram contritionem consummes.* Dixerat *nanqꝫ in præcedenti uersu, se tabuisse, ut timorem* Dei *hac uia proponeret. nunc uerò mandata se dilexisse ait, ut ab amore mandatorum* Satanam *quoq; odio se habere ostendat: ut capite malo eiecto, alteri capiti bono hæreat, inquiens:* Tu *igitur* Domine, *qui pœnitentiam nostram gratia tua meritoriam facis, & à peccati morte ad uitam nos perducis:* IN MISERICORDIA TVA, *hoc est in* Christo *misericordia tua, quam nunc inquiro, ueram pœnitentiam condonando* VIVIFICA ME. *uita gratiæ in uia, & uita gloriæ in seculum seculi.*

 PRINCIPIVM VERBORVM TVORVM VERITAS: IN AETERNVM OMNIA IVDICIA IVSTITIAE TVAE. *obserua lector qualis sit logica in anima pastoris huius diuinitus infusa. Sic enim argumẽtatur,* PRINCIPIVM VERBORVM TVORVM, *ore Christi, Prophetarum & sanctorum, in quorum ore loquens utranq; legem nobis dedisti.* VERITAS, *tum quia à ueritate increata principium habuerunt: tum quia secundum ueritatẽ promulgata et prædicata sunt: tum etiam, quia secundũ eandẽ ueritatem omnia adimplebũtur: per ipsam ueritatem, id est Christũ, de quo lex et Prophetæ loquuntur. Sed sic est quod in ipsis euidentissime æternam salutẽ obseruantibus mandata tua, uel illa non obseruasse pœnitentibus, per Christum ueritatem tuam primatum & caput nostrum promisisti: ergo* IN ÆTERNVM, *ut æternam salutem conferant,* OMNIA IVDICIA IVSTITIÆ TVAE, *quæ operamur, erunt (quæ qualia sint, in primo octonario dixi) his uerbis cooperationi gratiæ Dei per Christum omnia tribuens. Quibus hunc in modum enucleatis, iudica modo quem sensum Martinus Lutherus in hoc uersu habuerit, dum in suo proœmio sic ait, Principiũ seu caput uerborũ tuorum ueritas. Vides hic ueritatẽ tribui nõ nisi capiti uerborum Dei, hoc est si uerba Dei primo loco didiceris, et eis uelut principio primo usus fueris pro omnium uerborum iudicio. Quæ quidem uerba neq; aliquem saporem in se retinent, neq; perfectum sensum in animo auditoris generant: neq; aliquid commune cum eo, de quo ipse agit, habẽt. contendit nanq; propter hæc uerba, ut antiquos patres scripturam declarantes minimè sequamur, Propheta longe aliud sentiente. Cæterum ne admireris lector quòd easdem ferè sententias Propheta hic geminauerit, quas in octauo octonario enarrauit. Siquidem ibi, ut pauorem, qui spem impediebat, tolleret, & in uia beatus esse quiret, sic loquutus fuit: hic autem, ut re ipsa æternum regnum capiat, in idem tamen incidunt: nempe ut pauor, qui aderat, gratia per Iesum Christum facta auferretur.*

VICE-

GESIMVS PRIMVS OCTONARIVS.

✠ SIN ✠

Latinè, super vulnus.

OMNES consentiunt, ut litera hæc Sin interpretetur, super uulnus: sed quale uulnus sit, quid'ue super uulnus, & cui imponatur, diuersimode declarant. Vos autem memores estote, in præcedentibus octonarijs Prophetam soli misericordiæ, qua principaliter saluamur, innixum fuisse. Verum quia & secundo, propter merita quoq; nostra, quæ Christi merita participant, salutem cōsequimur, propria ulcera, quæ à uulneribus Iesu Christi uigorem habēt, in hunc, qui sequitur modum, cum dies mortis prope esset, domino proponit: Aspice domine, quoniam si una ex parte ulcera peccatorum, quæ animam meam uulnerarunt, summa cum humilitate pœnitendo, in præcedenti octonario proposui: altera ex parte uulnera afflictionum corporis mei, quæ te iubente aduersarij mei inflixerunt, à uulneribus Iesu Christi filij tui roborata nunc ostendo: ut uulnera hæc, quæ passus sum, super peccatorum uulnera ponantur: & eo modo, quo chirurgi unius uulneris saniem, per cōmeatus alterius uulneris plerunq; purgare solent: itidem omnes animæ meæ maculæ, per alia uulnera carnis hoc est afflictiones quas passus sum, in uulneribus Iesu uigorem habētia curentur. Sic enim tu domine animas nostras sanas, Hieremia teste, cum ait. Obducam cicatricem tuam: sanabo te à uulneribus tuis per Iesum Christum, qui uirtus ad sanandum eos erat: et idcirco uulneratus est, ut uulnera nostra sanaret. Sic enim & Iesus dixit: Misit me sanare contritos corde, & alio in loco, spiritus domini super me, ut mederer contritis corde, quod est uulnera corporis super animæ uulnera propter Christi uulnera tanquam emplastrum, quoddam quod attrahendo sanat, admouere. Audisti uulnera patientis? Audi, quæso, quale gaudiū et pacem Christi

uulnera in anima Dauidis, qui morti proximus erat, excu... certus, quæ ex charitate prouenit, hoc emplastro sic uulnera eius sanari, ut supra Christi dorsum affixus, in regnum cœlorum ualeat intrare, quemadmodum in his duobus ultimis octonarijs ostendit.

sin 1 PRINCIPES PERSEQVVTI SVNT ME GRATIS: ET A VERBIS TVIS FORMIDAVIT COR MEVM.

sin 2 LAETABOR EGO SVPER ELOQVIA TVA, SICVT QVI INVENIT SPOLIA MVLTA.

sin 3 INIQVITATEM ODIO HABVI, ET ABOMINATVS SVM, LEGEM AVTEM TVAM DILEXI.

sin 4 SEPTIES IN DIE LAVDEM DIXI TIBI SVPER IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

sin 5 PAX MVLTA DILIGENTIBVS NOMEN TVVM, ET NON EST ILLIS SCANDALVM.

sin 6 EXPECTABAM SALVTARE TVVM DOMINE, ET MANDATA TVA DILEXI.

sin 7 CVSTODIVIT ANIMA MEA TESTIMONIA TVA, ET DILEXIT EA VEHEMENTER.

sin 8 SERVAVI MANDATA TVA ET TESTIMONIA TVA: QVIA OMNES VIAE TVAE IN CONSPECTV MEO.

1 ¶ PRINCIPES PERSECVTI SVNT ME GRATIS: ET A VERBIS TVIS FORMIDAVIT COR MEVM. *Quam uocem, PRINCIPES, id est dæmones, Cassiodorus, Glossa & Lyra interpretantur: uel quod per principes, Saulem & Absalonem intellexerit: uel quod de omnibus iniquis hominibus senserit, quibus persequendi iustum Dauidem iniustè, à Deo potestas data*

quare non dicemus omnes tres significationes continere, ut horum societas contra Dauidē una sit? PERSECVTI SVNT ME GRATIS. siquidem absq; peccato in illos cōmisso integra societas hæc, tum regis Saulis iniusti, tum Doeth, tum etiam Absalonis et aliorum iniquorum in unum consentientiū undiq; corpus meum diuersis afflictionibus fermè sauciarunt; qua de re iustè (secundum naturam) cum licuit, potuissem contra illos me uindicare: uerum tamen, quia tu iussisti, ut propria uulnera propter alia peccata à nobis cōmissa sustinentes, inimicis parcamus, A VERBIS TVIS. et non dicit, uerba tua, sed à uerbis tuis, quæ ego dilexi, dum inimicis nocere prohibent. FORMIDAVIT, id est permanenti metu timuit COR MEVM. et cum sæpe uindictæ locus mihi daretur, non solum abstinui, uerū etiam patienter mala omnia sustinui. & hoc quidem propter alia quoq; uerba tua, quando dixisti: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. quasi dicat: Aspice domine q̄ grauissima uulnera mea fuerint, gratis inflicta, quanta ue ipsa animæ meæ obedientia extiterit, ut propter te omnia patienter sustinuerim, & hoc quare? quoniam secūdum literæ sin proprietatem, sub qua loquor, salutare tuum expectabam, qui suis uulneribus cicatrices has meritorias efficeret: itaq; regnum cœlorum, excluso regno principum persequentium me, secundum misericordiam & iustitiam in hac resolutionis corporis
2 mei die intrarem: et propterea LAETABOR EGO SVPER ELOQVIA TVA: SICVT QVI INVENIT SPOLIA MVLTA. Perinde ac si dicat: Etsi patiendo à uerbis tuis formidauit cor meum, LAETABOR, tamen EGO nunc in hora mortis. Siquidem ab eadem lege, unde formidatio processit, gaudium quoq; originem nunc habet, interea dum credo omnia animæ meæ uulnera illis passionibus corporeis in passione filij tui, ut diximus, optimè sanari. Lætabor igitur ego nūc, q͂ mors se mihi offert, SVPER eadem ELOQVIA TVA: quæ etsi nos pati docent, post passionem patientibus gaudium cœleste promittunt. Dixisti nāq;. Beati, qui persecutionē patiuntur pro-

pter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. At hoc gaudium magnũ est? respondet. SICVT, hoc est illius instar, QVI, postq; uiriliter certauit, in remuneratione uulnerum, & sudoris, ac timoris uitæ propriæ perdendæ, INVENIT SPOLIA MVLTA. quod maximum naturæ gaudium est, ut quispiã à timore uitæ perdendæ liberatus, uictoriã & bona simul obtineat, quo sanè immenso gaudio naturæ, supernaturale immensum gaudiũ Propheta ostendit, tametsi supra aurum & topazion sit. Sic enim gaudendo, gaudij domum potius nos intramus, q; animam nostram gaudium intret: quẽadmodum scriptũ est, Intra in gaudium domini tui. Id quidem Propheta hic contẽplatur, quod alibi Paulus dixit: Id enim, quod in præsenti patimur, momentaneũ & breue est: quod supra modum in sublimitate æternæ gloriæ põdus operatur in nobis, non contemplantibus, quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Et quasi uerba illa regius iste pastor audiat, Scribe uelociter, spolia detrahere; cum dies mortis se se obtulit, illo modo quo exultant uictores capta præda, quando diuidunt spolia, ipse quoq; post legitimum certamen dicit: Lætabor ego in hac hora, sicut qui inuenit spolia multa.

9 ¶ INIQVITATEM ODIO HABVI, ET ABOMINATVS SVM: LEGEM AVTEM TVAM DILEXI. Duo in præcedenti octonario constituerat capita, Christum nimirum, & Satanam: super quibus nunc ludit, dicens: non solum gratia tua INIQVITATEM, in abstracto, quasi omnem iniquitatem, omne peccatum, & omnem uiam iniquitatis, ut alijs placet: Tu autem dic, iniquitatem, id est ipsos dæmones iniquos, qui caput militiæ in nostris tentationibus retinent, ODIO HABVI, uerum etiam ET ABOMINATVS SVM, quod est plus, quemadmodum in præcedenti octonario dixerat, vidi præuaricantes & tabescebam. LEGEM AVTEM TVAM DILEXI. At hoc quare? Siquidem salutare tuum caput ecclesiæ expectabam in lege tua conclusum. ob quod subiungit, Legem

continens pro contento capiens) dilexi, inter hæc duo capita ludens. quasi dicat: Quid obstare potest, quin sperem uulnera mea uulneribus filij tui (in lege cui ego hæsi, conclusi) sanari, si perpetuò Satanæ abrenuntiaui, & Christo meo hæsi: ut tanquam medicus animæ, uulnera mea uulneribus suis sanaret, uulneraq; corporis immeritoria gratis inflicta, propter Christi uulnera gratis passa tanquam meritoria acceptarentur.

4 ¶ SEPTIES IN DIE LAVDEM DIXI TIBI SVPER IVDICIA IVSTITIAE TVAE. Sic planè legem tuam, id est Christum salutare tuum in lege contentum dilexi, ut SEPTIES IN DIE, per quæ uerba, septem tempora, in quibus statutis horis clerici orant, ostendit: nimirum in matutino & laudibus, quæ pro una hora computantur, prima, tertia, sexta, nona, uespere, & completorio: vel ut per uocem, septies, continuum orationis tempus ostendat, id ipsum planè quod alibi dicit, Mane, meridie, & uespere (à gratia tua per Iesum Christum crucifixum ad orandum uocatus,) LAVDEM DIXI TIBI. at dices, super quo? SVPER IVDICIA IVSTITIÆ TVAE. omnia scilicet, quæ fecisti, super aduentu huius salutaris nostri. Iustitiæ item, id est iustitiæ tuæ Christi, in qua omnia uulnera, quæ patimur, meritoria fiunt. quod si ita est, cur pauebo? Non'ne tu idcirco me orare fecisti, quia exaudire uolebas? & meis orationibus præuijs eam uim uulneribus corporis mei adiungere, ut per illa animæ uulnera sanarentur? Cogitabam sanè uulnera huius solis iustitiæ, in cruce passi uirtute effecisse, ut per iudicia iustitiæ, quæ ego cum gratia tua cooperando feci, non solum uulnera peccatorum meorum sanarentur, uerum etiam ut uulnera à me passa, meritoria quoq; forent (quemadmodum octonario primo dictum fuit) quapropter lætabor ego nunc in hora mortis, sicut, qui inuenit spolia multa, quandoquidem

5 ¶ PAX MVLTA DILIGENTIBVS LEGEM

TVAM: ET NON EST ILLIS SCA

Volens Propheta spem suam roborare, quod super uulnera animae iun
nera Christi ponerentur: per quae propria uulnera, meritoria fierent, à legis uerbis arguit, quae hanc spem sibi praestant, inquiens: PAX MVLTA, quasi non modica: quae praestat, ut laetetur supra illum, qui inuenit spolia multa. siquidem multa est pax nunc in uia, ubi beatitudine pacis fruimur: et maior quoque erit in coelo, omnibus DILIGENTIBVS. et dicit diligentibus, quasi pax haec à charitate proueniat, tanquam ipsius charitatis actus: quandoquidem sine gratia gratum faciente, uera pax esse non potest, siue ut actus charitatis meritorius in hoc uersu stet, siue ut fructus, cum ipsa pace fruimur. LEGEM TVAM & Christum in lege conclusum, eo quod regnum Dei nobiscum tunc adest, cum Christū in toto corde amamus: regnum autem ipsum, iustitia, pax, & gaudium est in Spiritu sancto. Pax item diligentibus legem tuam: quia ex iustitia, quam homo facit, custodiendo legem, pax inde prouenit, sicut scriptum est: opus iustitiae, pax. ET quamlibet homines tribulentur, NON EST ILLIS, qui diligunt, SCANDALVM, ut ab his, quae in lege promittuntur, confundantur, sicut scriptum est, spes quae à charitate oritur, non confundit.

6 ¶ EXPECTABAM SALVTARE TVVM DOMINE, MANDATA TVA DILEXI. quasi dicat: omnia haec gratia tua comite feci, non ut in me propter me meritum fieret, uel quod ego propriam animam iustificare quirem, ut in me gloriam quaererē, immo potius, quia EXPECTABAM SALVTARE TVVM Christum, per quem omne meritum nostrum, interim uerò gratia tua in fide uiuebam: sicut scriptum est, Iustus meus ex fide uiuit, DOMINE, qui melius nosti ea quae non uidebam, per patientiam me expectasse. ET, hac fideli spe proposita, MANDATA TVA DILEXI. non quòd uerbum diligo, pro simplici amore hic duntaxat stet (prout in uersu sequenti) sed pro illa dilectioue, quae actu operatur, iuxta illud: fide spem iustitiae

...uæ per charitatem operatur. sperans per hunc, qui supra uulnera animæ meæ ad curãdum illa tanquam emplastrum poneretur, seruando legem, æternam mihi salutem comparare. At si dicas, unde spes hæc orta fuit? respondet:

7 ¶ CVSTODIVIT ANIMA MEA TESTIMONIA TVA, ET DILEXIT EA VEHEMENTER. *quasi dicat*: Omnia quidem à lege tua habeo: & quo modo Maria conferens in corde suo uerba filij audiebat, eodem cum legem scrutarer, CVSTODIVIT ANIMA MEA in corde TESTIMONIA TVA. *non quidem ut custodia solius naturæ esset: siquidem tum legem contemplabar*, ET, *id est, etiam* DILEXIT EA, *dum uidebã per ipsam legem Christi aduentum, & nostram salutem per ipsum cruci affigendum annunciari, eo modo diligendo, quo hominem bonum nuncium afferentem diligere solemus. deinde uerò, ut dilectionem hanc à charitate prouenisse ostendat, subiungit*, VEHEMENTER. *per quam uocem, summam dilectionem cõmonstrat, quæ naturæ dilectionem excedat, ita ut duplex dilectio legis fuerit, prima, inquantum Christum continebat salutare nostrum, quod Propheta expectabat, ut hic. & secunda, inquantũ mandata ad seruandum ea dilexit, sicut in præcedentibus dixit.* Quæ *cum ita se habeant, quis me plus à Christo medico nostro sanitatem hanc uulnerũ à uulneribus suis consequendam sperare audebit? certè nemo.*

8 ¶ SERVAVI MANDATA TVA, ET TESTIMONIA TVA: QVIA OMNES VIAE MEAE IN CONSPECTV TVO. *quasi dicat*, SERVAVI MANDATA TVA, *per charitatem re ipsa operando.* ET TESTIMONIA TVA, *hunc in modum credendo scrutatus sum (uitam actiuam & contemplatiuã simul his uerbis complectens) non naturæ uirtute, sed* QVIA OMNES VIAE MEAE, *si quæ bonæ fuerunt, tum credendo, tum operando*, IN CONSPECTV TVO. *à quo est omne lumen. & hoc* SEMPER, *quemadmodum alibi pro cõtemplatione scripturarum uno in loco dicit*: Præ-

uidebam enim dominum in conſpectu meo ſemper, & alio loco: Iuſtificationes tuas cuſtodiam: nõ me derelinquas uſquequaq;, & pro fide: Ne auferas de ore meo uerbum ueritatis uſquequaque, in quibus exauditus fuit: ac proinde ipſi Deo (quemadmodum religioſum uirum decet) gloriam dat, qui omnium iuſtificationũ ſuarum, per Chriſtum crucifixum cauſa perpetua fuit, æternam ſalutem per eundem Chriſtum expectans, prout alibi dixit: Expectabam ſalutare tuum domine, medicum noſtrum animas ſanantem, humilitatem hanc nos docẽs, in qua ſpiritum Deo reddere debemus, id credẽtes atq; ſperantes, quod Dauid ſenio confectus in hora mortis ſperauit, dicens: Bonum mihi ꝙ multæ tribulationes aduenerint, per quas liberaſti me: ut hæc corporis uulnera, animæ cicatrices in meritis uulnerum Chriſti ſanarent.

VIGESIMVS SECVNDVS OCTONARIVS.

ת TAV ſeu TAF ת

Latinè, errauit, conſummauit, Hieronymus uerò ſignum.



LITERA hæc duo ſignificat, errauit, & conſummauit: ſub qua litera, ſecundum eius proprietatem, pſalmo, perſecutionibus, enarrationi diuerſi ſtatus, gratijs item à domino in medio itineris obtentis, mundiq; affectibus Propheta finem imponit, & hoc quidem, ut omnibus hunc in modum perfectis, quẽadmodum Chriſtianum uirum decet, poſt ſuperatã tribulationem, in domo domini hoſtias uociferationis reddendo, die ac nocte habitare poſſit, aſpiciens in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, quem obſecrabat, ut ipſum tanq; errantẽ ouem, quæ perijt, quæreret, et ſupra humeros cruci affixos, ſecundum magnam miſericordiã eius, eandem ſaluare dignetur; ipſum igitur audiamus, modum eius orationis expendentes.

APPRO-

Tau APPROPINQVET IN CONSPECTV TVO DEPRECATIO MEA DOMINE: IVXTA ELOQVIVM TVVM DA MIHI INTELLECTVM.

Tau 2 INTRET POSTVLATIO MEA IN CONSPECTV TVO: SECVNDVM ELOQVIVM TVVM ERIPE ME.

Tau 3 ERVCTABVNT LABIA MEA HYMNVM, CVM DOCVERIS ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Tau 4 PRONVNTIABIT LINGVA MEA ELOQVIVM TVVM: QVIA OMNIA MANDATA TVA AEQVITAS.

Tau 5 FIAT MANVS TVA VT SALVET ME: QVONIAM MANDATA TVA ELEGI.

Tau 6 CONCVPIVI SALVTARE TVVM DOMINE: ET LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

Tau 7 VIVET ANIMA MEA, ET LAVDABIT TE: IVDICIA TVA ADIVVABVNT ME.

Tau 8 ERRAVI SICVT OVIS QVAE PERIIT: QVAERE SERVVM TVVM DOMINE, QVIA MANDATA TVA NON SVM OBLITVS.

1 ¶ APPROPINQVET IN CONSPECTV TVO DEPRECATIO MEA DOMINE: IVXTA ELOQVIVM TVVM DA MIHI INTELLECTVM.

Per quam uocem, appropinquet, iniuſtum ſe eſſe confitetur, quaſi non poſſit, nec audeat ante conſpectum Dei ſtare: quia ſcriptum eſt: Iniuſti non permanēt ante oculos meos. Quamobrem à tergo (Samuelis conſilio utens) dominum obſecrans, orationem ſuam prius appropinquari

expetit, inquiens: APPROPINQVET IN CONSPECTV PRECATIO MEA. Sed quomodo fiet istud, ut principio appropinquet? quippe ut oratio, quam tibi offero, usq; ad humanitatem Christi principio perueniat, quæ diuinitati tuæ cæteris rebus propinquior est, ut Christus noster aduocatus, & propitiatio pro peccatis nostris, causam meã agat. Appropinquet ergo oratio mea IVXTA, id est prope ELOQVIVM TVVM Christum, quem per uocem eloquium psaltes sæpiuscule intelligere solet. Aut ubi ita placeat, Ioannis eloquium sit, qui Christum nostrum esse aduocatum et propitiationem testatur, proinde & Dei: quasi ab hoc eloquio uigorẽ accipiens, petierit ut oratio sua accederet ad Christum. DA MIHI per eundem Christum INTELLECTVM, donum spiritus tui, tum ut in spiritu & ueritate orem: quandoquidem quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus: et qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis: Tum etiam ut in hora mortis ueritatem tuam intelligere queam. Vbi uides Prophetã à principio psalmi ad finem usq;, intellectus donum eam ob causam perpetuò petijsse, quia dono intellectus secundum Augustinum semper ad mortem usque egemus; siquidem multi sunt, qui in hora illa intellectus dono carent, et tanquam belluæ diem extremum claudunt.

¶ INTRET POSTVLATIO MEA IN CONSPECTV TVO: SECVNDVM ELOQVIVM TVVM ERIPE ME. Quoniam idcirco solus Moyses coràm domino in monte pro populo orans stetit, solusq; in monte Oreb, uisa flamma, quæ rubum comburere uidebatur, dimissis calceis peccatorum in sanctum locũ intrauit, ut Christum, qui semel introiuit in sancta, et solus absq; peccato est, solus item ad dexteram eius sedens, pro nobis perpetuò patrem interpellat, figuraret. proinde quia in præcedẽti uersu dixerat, ut deprecatio sua humanitati Christi appropinquaret: deinde uerò ut intellectus donum ei daret, quo obtento, hanc tertiam orationẽ subiungit, inquiens,

POSTVLATIO MEA, *per Christum* IN CONSPECTV TVO. *quandoquidem diuinitati tuæ nostras preces effundere debemus, ut per Christum pro nobis orantem illas acceptes, cum minimè alia uia holocaustum pro peccato postulaueris: immo sacrificium & oblationē noluisti: præterq; à solo Christo, qui dixit: In capite libri scriptum est de me: Ecce uenio, ut faciam Deus uoluntatem tuam. in qua uoluntate sanctificati sumus, et nos per oblationem corporis Iesu Christi semel reliquas hostias offerimus: Hic enim unam pro peccatis Hostiam offerens, in sempiternum sedet ad dexteram tuam, una oblatione omnia consummando: quemadmodum per os Esaiæ dixisti: Per unum sacrificium plenus sum. Quapropter hoc obsecro, ut oratio mea, quæ ad Christum accessit, per ipsum intret in conspectu tuo,* SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, *quando dixisti: Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniã cognouit nomen meum. Clamauit ad me, et ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Ecce domine iam oĩa consummata sunt: quandoquidem mecũ semper in tribulatione fuisti, protexisti, liberasti, et me clamãtem exaudisti. Superest modò, ut secundũ eloquium tuum eripias me: quod nunc in hora mortis obsecro, inquiens:* ERIPE ME *à Satanæ manu, qui in hac hora fortius me tentare uenit, per Christum omnium consummatorem, non ut in ereptione duntaxat res ipsa consistat, uerum etiam ut eripiendo glorifices, & ubi hoc consummatum fuerit.*

3 ¶ ERVCTABVNT LABIA MEA HYMNVM, CVM DOCVERIS ME IVSTIFICATIONES TVAS.

4 ¶ PRONVNTIABIT LINGVA MEA ELOQVIVM TVVM, QVIA OMNIA MANDATA TVA AEQVITAS. *Petierat principio, ut deprecatio sua ad diuinitatem accederet: inde uerò, ut postulatio sua, quã Spiritu sancto docente proposuit, per Christum intraret: et tertio loco postulationis substantiam*

exposuit,ut ipsum à manu Satanæ eriperet,atq; glorific...
quia donum intellectus bifariam aduenire potest: primum, ut per suum discat domini iustificationes seruare: et secũdo,ut se illas seruasse intelligat: proinde ut in hora mortis securus decedat, dominum obsecrat,an errorum cõmissorum rectè pœnituerit,placeat reuelare,inquiens: CVM, id est postq; DOCVERIS ME,id est reuelaueris mihi,ꝙ IVSTIFICATIONES TVAS, saltem pœnitendo seruauerim:cogitans me de illis fore, qui audient: venite benedicti patris mei: Sitiui,et dedistis mihi bibere. ERVCTABVNT LABIA MEA, metaphorice uerbo hoc eructare utens.quasi ꝙ sicut labijs eructare cõpelluntur hi,qui plus æquo uentrem onerarunt: eodem modo eructabunt labia mea uentre animæ hac hilaritate repleto. sed quid labia tua eructabunt? HYMNVM, id est iucundam diuinã laudem, ubi nulla querela propriæ passionis aderit,quẽadmodum pœnitentiæ tempore feci. Sed quid hymnus iste lætitia refertus continebit? PRONVNCIABIT, sanè te loquente LINGVA MEA, quæ eructationem labiorum sequetur, ELOQVIVM TVVM Christum, per quem peccatores ad ueram pœnitentiã adducis: neq; deinceps dicã, quando consolaberis me,quia factus sum sicut uter in pruina:neq; præteritos cruciatus recẽsebo:sed hoc perpetuò labia mea eructabũt, QVIA, etsi lex ipsa iram præ se ferat, per hunc Christum tandẽ æquitatis finẽ habet.sic enim palàm prædicabo,quia OMNIA MANDATA TVA,etsi grauia ad crucem usq; principio uideantur electis, ÆQVITAS sunt,quia in æquitatẽ iudicia mandatorum tuorũ perpetuò conuertuntur,per Christum dominum nostrũ,per quẽ gratia facta est,ut legem à Moyse datã, saltem pœnitendo Christi iustitiã participantes,consummare ualeamus. Hoc eructabunt labia mea, donec loqui potero: hoc lingua pronuntiabit, quando uerba formare in agone non poterit: hoc saltem cogitabo,quãdo nec linguã mouere potero: quia omnia mãdata tua ueritas. Obserua ista lector: ut quem te in die mortis præstare debeas,intelligas.

¶ FIAT MANVS TVA VT SALVET ME; QVO-

..NDATA TVA ELEGI *quasi dicat,* FIAT *igi*
tur mini MANVS TVA,*id est Christus incarnādus, iuxta illud* E*saiæ,*
E*t brachium domini cui reuelatū est?* S*iquidem scio redemptorem meū*
*uiuere,*VT,*uirtute sua* SALVET ME. *quod ea ratione intrepidè spero,*
QVONIAM *ego cum propria uirtute salutem hanc asequi nequissem;*
quod meum fuit,perpetuò feci: nempe quia dum uia lata,quæ ad perdi-
tionem,& uia arcta,quæ ad uitā ducunt,mihi propositæ fuissent, gra-
tia tua duce MANDATA TVA ELEGI; *itaq; quod meū erat, gratia co*
mite cōsummaui.tuum igitur nunc est,ut per manū tuam, nimirū C*hri*
stum,animam meā liberare ac saluare digneris, hoc igitur fiat domine,
ut manus tua saluet me in meritis suis, quæ participare spero.

6 ¶ CONCVPIVI SALVTARE TVVM DOMINE,
ET LEX TVA MEDITATIO MEA EST. *quasi di-*
cat (secundū A*ugustinum,*C*assiodorū,* G*lossam,* H*ugonem) ut hæc oīa*
ut præmissum est consummarentur per C*hristum, omnia quæ ex parte*
mea fieri poterant, iam consummata sunt; CONCVPIVI *nanq;, id est*
magno desiderio desideraui SALVTARE TVVM C*hristū.*ET *interim*
donec ueniat LEX TVA, MEDITATIO MEA EST,*ubi ipsum conclu-*
*sum intueor.*E*t dicit,meditatio mea est,præsenti tēpore loquens,propter*
ea quæ super eadem uerba in præcedentibus octonarijs ponderaui;quasi
si tempore suo non uenerit, ipsum saltem in lege,ubi conclusus est,con-
templetur; itaq; interim ex fide uiuat.

7 ¶ VIVET ANIMA MEA, ET LAVDABIT TE;
IVDICIA TVA ADIVVABVNT ME. *quasi dicat;*
S*cio enim cui credidi, per quem in spe filiorū* D*ei, uita gratiæ nunc aīa*
mea uiuit, ET VIVET *quoq;* ANIMA MEA *uita gloriæ,*ET LAVDA-
BIT TE *in aduentu salutaris tui* I*esu* C*hristi,qui post passionem et re-*
surrectionem propria uirtute cœlos aperiet,ubi angelicas orationes cum
*alijs sanctis patribus perpetuò concinam.*H*is uerbis bellè nos docens,ut*
in agone certò credamus nos per C*hristum saluos fore.* ET IVDICIA

TVA. quæ qualia ſint, in primo octonario dixi. ADIVV

sed quid hoc adiuuare eſt? nempe ut qui taliter uixi, iudicia & iustitia, faciendo, quæ tua potius q̄ mea ſunt, adiuuent, et nunc ut principaliter per miſericordiam, et ſecundò ſecūdum iuſtitiam ſaluum me eſſe credā. Hæc enim iudicia illa ſunt, quorū Petrus meminit, quādo dixit: Tempus eſt ut incipiat iudicium à domo Dei: ſicut ſcriptum eſt, ꝙ ſeminanti iuſtitiam merces fidelis, eò quòd fructus iuſti lignum uitæ, & tandem utranq; ſignificationem huic octonario per literam Tau propoſitam amplectendo, ſequentia uerba ſubiungit.

8 ¶ ERRAVI SICVT OVIS QVAE PERIIT: QVAERE SERVVM TVVM DOMINE; QVIA MANDATA TVA NON SVM OBLITVS. Rogabis fortaſſe, quare David, qui beatus in uita fuit, hoc ī loco ab hoc uerbo exordiatur, ERRAVI? Ego autē reſpondebo, quoniā ſemetipſum ſeducit, ſiquis putat ſe peccatū non habere, tametſi in uia quādoq; fuerit beatus. ſiquidem in hoc perfecta beatitudo patriæ ab hac imperfecta beatitudine uiæ inter cætera differt, quia beatitudo patriæ perpetua eſt, non autē beatitudo uiæ. quam ob cauſam Paulus dixit: Nihil mihi conſcius ſum: non autem in hoc iuſtificatus ſum, Dominus eſt qui iudicat me. admonens nos, ut tametſi nihil nobis conſcij ſimus, ſaltē propter uenialia, et occulta mortalia, uel etiam nota, quorum an rectè pœnituerit nos, ignoramus, ac etiam pro pœna, quam poſt dimiſſam culpā meremur, corā Deo peccatores in hora mortis nos exhibere debeamus, neq; aliter uerbum hoc, Erraui, interpretemur, id eſt peccaui: quandoquidem omnis peccans ſaltem in eligendo errat: non tamē dicit, peccaui, ſed dicit erraui. quaſi dicat, ſerui errantis inſtar peccaui, qui ſi à domino ſe abiungit, non ea mente id agit, ut fugiendo inter fugitiuos ſeruos connumeretur, qui ſic fugiunt, ut amplius dominum non uideant. Erraui igitur SICVT OVIS QVÆ PERIIT. eam ob rem exemplū hoc afferens, quia ouis ignorās à paſtore, qui cuſtodit eam, fugit, et poſt fugā ſola cum inter lupos manet,

...um secum habens, iam se perditã cernit: unde modò huc, modò illuc errans, pastorem clamosa uoce, qui ipsam quærat, summa cũ humilitate acclamat. quasi ad eundem modũ ipse nunc oret, dicens: Erraui sicut ouis, quæ periit, QVÆRE SERVVM TVVM DOMINE. mitte pastorem illũ bonum, qui armatus suo baculo crucis nos quærere ueniet, atq; saluare, sicut scriptum est: Venit filius hominis quærere, & saluare. fac domine ut pastor iste suo officio utens, nonagintanouẽ aliis dimissis, animã meam errantem quærat; quære domine, qui Adam post peccatũ quæsiuisti. Age mi domine, ut fortis manus tua Christus, quærat me ouem defatigatã, et me lapsum supra dorsum suum cruci affixũ uirtute suscipiat. Concede domine, ut me errantẽ suscipiat, et ad caulas paradisi me perducat: QVIA si MANDATA TVA nõ seruaui, ac proinde erraui, saltem illa NON SVM OBLITVS. quandoquidẽ gratia tua motus atq; adiutus, errantis serui more, qui ad dominũ reuertitur, nunc me pœnitet. Vbi obseruare debemus, õia in fideli pœnitentia Dauidem conclusisse: et hoc expenso cum Augustino in agone dicamus: Desperare utiq; possem propter infinita peccata & negligentias meas: sed desperare non audeo: quia, si cum inimici essemus, per mortem filij tui reconcialiati sumus: quanquã mea iustitia careã, iustitiam tamen filij tui participabo, qui omnes in se credentes saluat. Habetis igitur lectores, quid à natiuitatis die ad mortem usq; tanq; strenui cooperatores cum operante Deo cooperari obligemini. Illorum igitur memores tam in uia q; in hora mortis estote, illa facite, ne dominus dicat: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum; tu uerò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum? Siquidem interpretari aut intelligere cum Propheta iustificationes domini, quarum totiens meminit, & non hoc idem cum Propheta facere, nil omnino aliud est, q; sermones eius abijcere, immo potius domini disciplinam contemnere.

FINIS.

Pag. 3. versu 24 venationibus, & ver. 30 tribulationum
Pag. 10 col. 2 ver. 12. consuetudinem
Pag. 12 col. 2 ver. 18 manendo
Pag. 17 col. 2 ver. 11 animaduertentes
Pag. 21 col. 2 sculpta
Pag. 21 col. 2. Vias meas enuntiaui
Pag. 28 ver. 21 lex, & col. 2. ver. 17 illum
Pag. 31 ver. 2 in id, & col. 2 ver. 28 aberret
Pag. 32 col. 2 ver. 19 Saulis
Pag. 35 col. 2 ver. 6 lege prouentum hunc quem
Pag. 66 ver. 15 lege in hoc vel illo homine operatus est,
Pag. 80 ver. 16 vlla, & ver. 17 permaneat, & col. 2 ver. 1 eos, lege filios